

ANSGARIUS DIRKS O.P., *De tribus libris manu scriptis primaevae liturgiae dominicanae*, in «Archivum Fratrum Praedicatorum» (ISSN 0391-7320), 49, (1979), pp. 5-37.

Url: <https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp>

Questo articolo è stato digitalizzato della Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale [HeyJoe](#) - *History, Religion and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the [HeyJoe](#) portal - *History, Religion, and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.



Nota copyright

Tutto il materiale contenuto nel sito [HeyJoe](#), compreso il presente PDF, è rilasciato sotto licenza [Creative Commons](#) [Attribuzione-Non commerciale-Non opere derivate 4.0 Internazionale](#). Pertanto è possibile liberamente scaricare, stampare, fotocopiare e distribuire questo articolo e gli altri presenti nel sito, purché si attribuisca in maniera corretta la paternità dell'opera, non la si utilizzi per fini commerciali e non la si trasformi o modifichi.

Copyright notice

All materials on the [HeyJoe](#) website, including the present PDF file, are made available under a [Creative Commons](#) [Attribution-NonCommercial-NoDerivatives 4.0 International License](#). You are free to download, print, copy, and share this file and any other on this website, as long as you give appropriate credit. You may not use this material for commercial purposes. If you remix, transform, or build upon the material, you may not distribute the modified material.



DE TRIBUS LIBRIS MANU SCRIPTIS PRIMAEVAE LITURGIAE DOMINICANAE

SCRIPSIT ANSGARIUS DIRKS O.P.

Aliquot ante annos Philippe Gleeson O.P. in hoc Commentario optime disseruit de nonnullis libris Liturgiae Dominicanae ante a. 1254 scriptis¹ seu qui correctioni et ordinationi Venerabilis Humberti de Romanis antecedunt (quos commoditatis causa codices praehumber-tianos vocamus). His codicibus nunc tria alia. documenta primaevae Liturgiae Dominicanae addimus, quae his ultimis annis invenire potui-mus, et quorum primum et tertium ex indicibus typis impressis nota sunt (sed ibi s. xiv attribuuntur), secundum vero nondum in aliquo indice apparuit.

En tria documenta nuper reperta:

Bibliotheca Vaticana, Vat. lat. 10773. Graduale O.P. s. XIII.

Houston, U.S.A., Menil Foundation, 65-62 DJ. Antiphonarium O.P., s. XIII.

Londinii, British Library, Add. n. 41507. Codex miscellaneus.

In nostra expositione his siglis et abbreviationibus utimur:

- C Copenhagen, Det Kongelige Bibliotek, Ny Kgl. Saml. 638, 8°. Continet elementa diversi generis (e Graduali, Antiphonario, Hymnario, Processionario). Bibliopola M. L. Rosenthal, qui initio huius saeculi codicem vendidit, ei nomen dedit *Liber choralis ad usum fratrum praedicatorum*. Nomen ei magis aptum esset *Miscellanea liturgica*. An omnia quae in hoc codice continentur revera sint secundum priscum usum Fratrum Praedicatorum, nobis nondum liquet.

¹ Ph. Gleeson O.P., Dominican liturgical manuscripts from before 1254, in Archivum Fratrum Praedicatorum XLII (1972) 81-135. Pro descriptione horum librorum manu scriptorum remittimus ad optimam auctoris disputationem. Non plane assentiri possumus omnibus eius conclusionibus de aetate horum codicum. Neque existimamus sic dictum Breviarium S. Dominici esse documentum pristinae Liturgiae Dominicanae. Abstinebimus plerumque ab aetate codicum accurate definienda.

- L Londonii, British Library, Add. n. 41507. Codex miscellaneus.
 V Bibliotheca Vaticana, Vat. lat. 10773. Graduale O.P. prae-
 humbertianum.
- E Engelberg, Stiftsbibliothek, codex 104. Diurnale prae-
 humbertianum², cuius pars originalis (sine supplementis) inter
 1235-1240 scripta esse videtur.
- M Houston, Menil Foundation, 65-62 DJ. Antiphonarium O.P.
 prae-humbertianum, scriptum non multum post a. 1240.
- P Parisiis, Bibliothèque Nationale, lat. 8884. Missale prae-
 humbertianum.
- R Missale prae-humbertianum, a bibliopola A. Rau venditum,
 nunc in aliqua collectione privata³.

² Benevolentia conventus Lucernensis transcriptione huius codicis a defuncto fr. Marco Imfeld O.P. facta uti potuimus.

³ Non sequimur opinionem P. Gleeson, secundum quam hoc missale scriptum fuisset inter 1246-1254, immo probabiliter inter 1251-1254. Quod festum Nativitatis B. V. iam octava ibi praeditum apparet, non probat nostro iudicio missale scriptum esse post a. 1245: in multis Ecclesiis Angliae et Galliae haec octava iam antea celebrabatur. — Verum est versum alleluaticum « Hic Franciscus pauper » inveniri in Ordine Missalis Haymonis (1243-44), non autem in exemplaribus Missalis Fratrum Minorum vi Regulae editi quae ad nos pervenerunt, sed probatne hoc hunc versum non ante 1243-44 alicubi in usu fuisse? Notandum hunc versum esse eundem qui adhibetur in missa S. Martini Episcopi, mutato tantum nomine « Martinus » in « Franciscus », et hunc versum desiderari quidem in missali Fratrum Minorum, inveniri autem in missali Dominicano (P et R). Addendum est Introitum, Responsorium, Communionem Missae S. Francisci in R non concordare cum Ordine Missalis Haymonis; datur initium versus « Hic Franciscus pauper et modicus », sed remittitur ad Missam S. Martini. — Missa S. Dominici (5 aug.) habetur quidem in corpore missalis, sed, ut ipse P. Gleeson notat, valde inepte inserta est, post S. Xystum (6 aug.): f. 182^v^b, ultima lin., legitur: « Sixti ppe. offm. Sacerdotes eius induant oro ». (in imo margine indicantur (alia manu) reliqui cantus, epistola, evangelium, de uno martyre), f. 183^r sequuntur (sub inscriptione: « Systi ppe ») tres orationes (oratio, secreta, postcommunio) S. Xysti, iuxta calendarium R (in quo Sixtus notatur ut fest iii lc. cum memoria Felicissimi et Agapiti); deinde, omissis orationibus Felicissimi et Agapiti, sequitur missa S. Dominici; demum oratio Sixti, Felicissimi et Agapiti, iuxta B et H (ubi hi tres Sancti unica memoria celebrantur) et ultimo oratio Donati. Initio f. 183^r res igitur disponuntur secundum pristinum calendarium (E, C, P et R), in fine secundum posterius (B et H). Insuper in hac sola pagina postcommunio (S. Sixti, S. Dominici) inscribitur « Complet ». (cf. Deshusses, nn. 26, 35 etc.), et loco vocis « Officium » adhibetur « Introitus » (in missa S. Dominici). Tituli « Systi » (non « Sixti », ut f. 182^v^b), « In festo bti dominici conf. », « Donati epi et mr. » alia manu scripti fuisse videntur. Accedit huc alia particularitas: cum in calendario R, die 12 aug., legatur: « Oct. Sci Dominici et conf. » (sic), deest in corpore missalis quaelibet mentio de octava S. Dominici, non autem desunt in eodem corpore missalis octavae (« infra oct.... », « in die oct. ») v.g. Laurentii, Assumptionis

- B Romae, Archivum gen. O.P., XIV L 2. Breviarium notatum praehumbertianum, ante a. 1244⁴.
- H Romae, Archivum gen. O.P., XIV L 1. Codex 500 foliorum, continens Ecclesiasticum Officium Ordinis Fratrum Praedicatorum, per quatuordecim libros distinctum, secundum correctionem et ordinationem Magistri Ordinis Humberti de Romanis, a Capitulis generalibus aa. 1254, 1255, 1256 approbatum. Vulgo appellatur Archetypus vel Prototypus Liturgiae Dominicanae⁵.
- Cis 1 Divione (Dijon), Bibl. munic. 114. Archetypus Liturgiae Cisterciensis, inter 1185 et 1191.
- Cis 2 Parisiis, Bibl. Nat., lat. 17328. Graduale Cisterciense, ante a. 1174.
- Cis 3 Parisiis, Bibl. Nat., n. a. lat. 1413. Graduale Cisterciense, scriptum a. 1244. Deest magna pars Proprii de Tempore et de Sanctis.
- Cis 4 Bibliotheca Vaticana, Rossi 298. Graduale Cisterciense, a. 1385.
- Cis 5 Romae, Bibl. Angelica, 1439. Sacramentarium Cisterciense s. XIV exeuntis.
- Rat Romae, Bibl. Angelica, 948. Graduale Ratisbonense (Regensburg), s. XII ineuntis.
- AH Analecta Hymnica Medii Aevi, ed. G. Dreves, C. Blume, H. Bannister, 55 vol., Leipzig 1888-1922.
- EL Ephemerides Liturgicae, Romae, 1887...
- MOPH Monumenta Ordinis Praedicatorum Historica.
- Ordin. O.P. Ordinarium iuxta ritum Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, ed. F. M. Guerrini O.P., Romae [1921].

B. V., Augustini, Nativitatis B. V. Imagines photographicae (microfilm) huius missalis nobis tantum praesto erant, inspectio autem ipsius codicis fortasse maiorem lucem afferre posset. Postremo notandum est missam Translationis S. Dominici in corpore deesse, in imo margine tamen additam fuisse.

⁴ Argumenta a P. Gleeson allata adducere nos non possunt ut credamus codicem B fructum repraesentare laborum Commissionis quattuor Fratrum (1246-1248). Cum aliis censemus hunc codicem pertinere ad periodum quae revisionem illius Commissionis praecedit. Ut de aliis argumentis taceamus, cogitare non possumus revisionem totius Officii sine lectionibus pro celebratione conventuali factam: paucae breves quae praebentur lectiones Officio extra chorum inserviunt. Omnino non possumus assentiri auctoris opinioni iuxta quam revisio quattuor Fratrum ad Officium stricte dictum tantum spectavisset, non autem ad missale (l. c. p. 114).

⁵ Nota H indicat sive integrum codicem sive singulos libros: e contextu elucebit de quonam libro agatur; interdum autem, maioris perspicuitatis causa, alia nota additur, v.g. HGr., HPr., HMconv. = resp. Graduale, Processionarium, Missale conventuale de codice H.

- Ordin. Carm. Antiquum Ordinis Carmelitarum Ordinale (s. XIII), ed. Patrick de Saint-Joseph C. D., Taminés 1912.
- Bruylants P. Bruylants, *Les oraisons du Missel Romain*, Louvain 1952, 2 vol.
- Chevalier U. Chevalier, *Repertorium Hymnologicum*, 6 vol., Louvain 1892-1921.
- Deshusses J. Deshusses, *Le sacramentaire grégorien. Ses principales formes d'après les plus anciens manuscrits* (= Spicilegium Friburgense 16), Fribourg 1971.
- Guignard Ph. Guignard, *Les monuments primitifs de la Règle Cistercienne publiés d'après les manuscrits de l'Abbaye de Cîteaux* (= Analecta Divionensia 10), Dijon 1878.
- Hesbert R. J. Hesbert, *Corpus Antiphonarium Officii* (= Rerum Ecclesiasticarum Documenta. Series Maior. Fontes VII-XI), Romae 1963-1975, 5 vol.
- Salmon P. Salmon, *Les manuscrits liturgiques latins de la Bibliothèque Vaticane* (= Studi e Testi 251, 253, 260, 267, 270), Città del Vaticano 1968-1972, 5 vol.
- van Dijk, Origins S. J. P. van Dijk - Joan Hazelden Walker, *The origins of the Modern Roman Liturgy. The Liturgy of the Papal Court and the Franciscan Order in the thirteenth century*, London, Westminster MD 1960.
- van Dijk, Authentic Missal S. J. P. van Dijk, *The Authentic Missal of the Papal Chapel*, in *Scriptorium* XIV (1960) 257-314.
- van Dijk, Sources S. J. P. van Dijk, *Sources of the Modern Roman Liturgy. The Ordinals by Haymo of Faversham and related documents* (1243-1307), Leiden 1963, 2 vol.

I. BIBLIOTHECA VATICANA. VAT. LAT. 10773

Codex membranaceus (ff. 194.195.201.202 chartacea), s. XIII, mm. 430 × 305, ff. 202, lin. 10.

Duplex habetur foliorum enumeratio: altera, librarii manu, numeris romanis medio in margine laterali dextro appositis (I-CLXXXVII), incipit a f. 6 recentis enumerationis et deducitur usque ad f. 183 (bis occurrit numerus LXXXXVI, nempe in ff. 101 et 102); altera, quam sequimur, recens, numeris arabicis impressis in imo margine.

Codex hoc modo compositus apparet: ff. 1-5, ternio cui primum folium deest; ff. 6-183, viginti duo fasciculi in imo margine primi cuiusque folii numerati (numerus fasciculi II est erasus), singuli octo foliis constantes, praeter XXI, qui decem foliis constat; ff. 184-197, senio in qua post folium decimum

duo folia chartacea (194-195) inserta sunt; ff. 198-200, binio, cui ultimum folium deest; ff. 201-202, bifolium chartaceum.

Codex litteris gothicis et notis musicis quadratis (in systemate quattuor linearum positus) instructus, a f. 6 ad f. 183^v lin. 6 (exceptis ⁶, ut nobis videtur, ff. 70^v-71^v lin. 3) una tantum manu exaratus, a f. 1 ad f. 5 et a f. 183^v lin. 7 usque in finem (exceptis ff. 194-195 et 201-202, s. XVIII-XIX) a variis librariis paulo recentioribus scriptus est.

Secundum recensionem quam dedit J. B. Borino ⁷, codex noster, pariter ac codd. Vat. lat. 10771, 10772, 10774, 10775, oriundus est e conventu S. Catharinae apud Diessenhofen, diœcesis Constantiensis in Helvetia. Etenim in Vat. lat. 10772 habentur duae litterae Priorissae huius conventus lingua germanica scriptae (f. 1^v). Hic conventus fundatus erat in Diessenhofen, sed a. 1242 translatus est ad Katherinental. Initio erat conventus begunarum, sed iam a. 1245 ab Innocentio IV Ordini Praedicatorum incorporatus est. Suppressus est a. 1869 ⁸.

Praeter multas litteras initiales maiores variis coloribus depictas habentur quattuor litterae initiales imaginibus quoque conspicuae: f. 14^v *Puer natus est*, f. 73 *Resurrexi*, f. 86 *Spiritus Domini*, f. 104^v *Dominus secus mare*.

In margine inferiore f. 106^r (in quo folio incipit officium S. Ioannis Evangelistae, die 27 dec.) exstant imagines eiusdem S. Ioannis et monialis cuiusdam, cuius nomen *S. M. Pfefferhartin* adscriptum est ⁹; in margine laterali externo f. 186^r (iuxta versum alleluaticum de S. Ioanne) et f. 190^v (iuxta stropham de S. Ioanne in Sequentia de apostolis) imago eiusdem S. Ioannis eadem manu depicta est. Folia 186 et 190 pertinent ad ea quae manu recensiore scripta sunt. Saltem ergo tempore quo imagines illae pictae sunt, monasterium cultum specialem erga S. Ioannem fovit ¹⁰.

Ante officium S. Catharinae V. M. (f. 133^v) legitur titulus: *Beatissima Katherina v. et mrs*, unde deduci potest hanc quoque Sanctam in hoc conventu cultum particularem habuisse, quamvis de ea non reperiatur Sequentia propria, ne in foliis quidem manibus recentioribus scriptis (f. 183^v ss.).

⁶ Textus litteris maioribus est scriptus.

⁷ Plura desumpsimus e recensione quam praebuit J. B. Borino, *Codices Vaticani Latini 10701-10875*, Bibliotheca Vaticana 1947, 228-232, aliis additis, aliis omissis vel emendatis.

⁸ Hieronymus Wilms, *Das älteste Verzeichnis der deutschen Dominikanerinnenklöster (= Quellen und Forschungen der Geschichte des Dominikanerordens in Deutschland. Heft XXIV)*, Leipzig 1928, 36.

⁹ E documentis conventus Divodurensis (Diessenhofen) nobis nota est aliqua soror nomine Adelheid Pfefferhartin, fin. s. XIII vel initio s. XIV (H. Wilms, *Geschichte der deutschen Dominikanerinnen 1206-1916*, Dülmen 1920, 101-102). Non autem nobis suppetunt rationes ut affirmemus hanc eandem esse ac S. M. Pfefferhartin.

¹⁰ Conventus S. Catharinae notus erat propter suam devotionem erga S. Ioannem Evangelistam.

Codici deest titulus originalis, sed secundum ea quae continet dicendus est Graduale. Differt tamen a Graduali quod in H. continetur i.a. in eo quod cantus qui ad processiones pertinent et iuxta ordinationem Humberti in Processionario inveniuntur, Graduali nostro suis locis inserti sunt, sc. dominica in ramis palmarum (f. 52^v), in Ascensione Domini (f. 83^v) et in Purificatione B. Mariae V. (110^v); feria V in Cena Domini, omnes antiphonae ad mandatum (f. 61^v); in Parasceve, cantus ad adorationem crucis, non tantum hi qui a choro peraguntur, sed etiam illi qui ad diaconos pertinent: $\Psi\Psi$. *Popule meus* ... (f. 66^r). Nihil autem habetur suis locis, i.e. in Proprio de Tempore vel de Sanctis, de processionibus in diebus Rogationum et in festo Assumptionis B. Mariae V.; de his duabus processionibus invenitur aliquid in fine codicis (f. 158; cf. infra pp. 17-18).

Eandem dispositionem, i.e. insertionem cantuum qui ad processiones pertinent, invenimus in aliquo Graduali O.P., Pisauri in Bibliotheca Oliveriana conservato¹¹, quod tamen post ordinationem Humberti scriptum est (fine s. XIII vel initio s. XIV).

Haec sunt quae in nostro codice continentur:

ff. 1-5: Praefixum, ab aliis librariis scriptum.

f. 1. Sequentia de B. M. V. [*I*]ubilemus in hac die (Chevalier, n. 9813).

Haec Sequentia deest in C, P et R et in corpore huius codicis. In H invenitur inter Sequentias post Trinitatem in Commemoratione B. V. in sabbatis dicendas (Ord. n. 907; H. f. 367a).

f. 2^r. *Alleluia* cum versu [*F*]ilii Syon letamini et exultate in domino deo vestro quia dedit vobis doctorem iusticie.

Hic versus (cf. Ioel 2, 23) invenitur, iuxta catalogum Solesmensem, in tribus mss. originis germanicae¹², e quibus duo, originis Bambergensis, praebent hunc versum pro S. Ottone, episcopo Bambergensi, tertius autem, originis, ut videtur, Ratisbonensis, omittit omnem indicationem¹³.

Alleluia cum versu *Exivi a patre et veni in mundum iterum relinquo mundum et vado ad patrem* (Ioh 16, 28).

Adhibetur hic versus alleluaticus iuxta H in vigilia Ascensionis. In corpore autem nostri codicis (f. 83^r), sicut in P et R, habetur Ψ . *Omnes gentes plaudite manibus* ... (Ps. 46, 2).

¹¹ Pisauri (Pesaro), Bibliotheca Oliveriana, n. 2034. Hic codex continet primam partem Officii de Tempore, ab Adventu usque ad Sabbatum Sanctum; cf. Anscario Dirks O.P., Note su un Graduale domenicano fra i codici della Biblioteca Oliveriana, in *Studia Oliveriana*, Vol. XIX-XX (1971-72), 28-32.

¹² Cum hac inversione: *vobis dedit*.

¹³ Hanc notitiam nobiscum benevole communicavit Dom. E. Cardine, monachus Solesmensis, prof. palæogr. music. in Pont. Inst. Musicae Sacrae, Romae, cui pro hac aliisque notitiis maximas gratias agimus.

f. 2^v vacuum.

ff. 3-4^r. Sequentia [*L*]aus sit regi glorie, de S. Agnete (Chevalier, n. 10540).

Iuxta ritum Dominicanum Sequentiae cantabantur in festis totis duplicibus tantum, festum autem S. Agnetis ad hunc gradum pro toto Ordine elevatum est a Capitulis generalibus aa. 1530, 1532, 1536 (MOPH IX, 221, 246, 260). Agitur ideo de additione pro aliqua celebratione locali¹⁴.

ff. 4-5^r. Sequentia *Rex Salomon fecit templum* (Chevalier, n. 17511), quae iuxta H cantatur in festo Dedicationis ecclesiae eiusque Anniversario (Ord. n. 724; H f. 365^{ra}). Deest in C, P et R.

In V pro festo Omnium Sanctorum vel Dedicatione ecclesiae habetur Sequentia *Gaudeat ecclesia* (Chevalier, n. 7080); in P pro festo Omnium Sanctorum *Gaudeat ecclesia* (f. 295^v), pro Dedicatione autem ecclesiae *Ierusalem et Syon filie, cetus omnis fidelis curie melos pangat* (f. 296^r; Chevalier, n. 9442).

f. 5^r a lin. 6-5^v. erasa.

Haec folia 1-5 sunt igitur aliquod supplementum, quo liber Gradualis adaptatur partim Liturgiae ab Humberto recognitae (Sequentiae *Iubilemus in hac die* et *Rex Salomon fecit templum*; versus alleluaticus *Exivi a patre*), partim usibus localibus (versus alleluaticus *Filii Syon* et Sequentia S. Agnetis *Laus sit regi glorie*). Idem dicendum de foliis in fine codicis additis (cf. infra p. 20).

ff. 6-104^v. *Ad te levavi ... Co. Amen dico vobis quicquid orantes petitis credite quia accipietis et fiet vobis.*

Officium de Tempore (sine titulo), a dominica I Adventus usque ad dominicam XXIII post Trinitatem. Dominicae enim quae sequuntur tempus paschale non computantur « post Pentecosten », at « post Trinitatem »; f. 90^v: « Dominica post trinitatem », et deinde: Dominica ij, iij, etc. Ante ultimam dominicam (f. 103^v) deest numerus, sed in margine sinistro, tempore posteriore, plumbo nigri coloris, scriptum est (erronee tamen): « Dom. XXIII post Pent. ». In libris Cisterciensium hae dominicae computantur « post Pentecosten ».

Notanda:

1. ff. 69^v-70^r¹⁵. In vig. pasche. Lco j. *In principio creavit ... deus tuus.*

Habentur in his foliis, praeter nonnullas breves rubricas, tres tractus: *Cantemus, Vineae, Sicut cervus*, sed melodia ultimi tractus abrumpitur in neumate quod invenitur in ultima syllaba vocis « tuus ». Neuma non continuatur

¹⁴ In Antiphonario O.P., Vat. lat. 10771 (eiusdem conventus S. Catharinae) habentur in Officio S. Agnetis duae litterae maiores variis coloribus imaginibusque conspicuae (ff. 200^v, 201^v).

¹⁵ A f. 70 incipit fasciculus IX.

in f. 70^v, sed in ff. 70^v-71^v lin. 1-3 (antea, ut videtur, vacuis relictis) habentur, sine ulla rubrica, duae antiphonae, cum notis musicis: *Sedit angelus* (cum versu *Crucifixum*¹⁶) et *Cum rex glorie*, quarum verba litteris maioribus et, ut videtur, ab alio librario scripta sunt. Post has antiphonas, f. 71^v lin. 4, omissis litanis sanctorum, sequitur *Kyrieleison* (paschalis temporis), *Gloria...*, iisdem litteris scripta atque in ff. 69^v-70^r.

a) Nomen « vigilia paschae » legitur pariter f. 180^r: « In vig. pasce. benedictio cerei... ». In R¹⁷, B et H semper adhibetur nomen « sabbatum sanctum », in libris autem ritus Cisterciensis¹⁸ reperitur plerumque nomen « vigilia paschae ».

b) Rationem afferre non possumus quam ob rem tractus *Sicut cervus* non continetur in f. 70^v: videtur nobis esse simplex oblivio. Quare autem desunt litaniae sanctorum? Fortasse quia deerant in exemplari Gradualis quod librarius ante oculus habebat. In pluribus enim Gradualibus¹⁹, hoc loco litaniae sanctorum desunt, sed inveniuntur in fine libri.

c) Antiphonae *Cum rex glorie* et *Sedit Angelus* cantabantur in quibusdam locis, die Paschae, ante Matutinum in visitatione sepulchri vel in processione, post Tertiam, ante Missam²⁰. Processionem autem die Paschae

¹⁶ Hesbert, III, n. 4858.

¹⁷ In P deest titulus: f. 121 incipit officium huius diei a prima lectione *In principio*; inter f. 120 et f. 121 desunt, ut videtur, duo folia. In E, pro « Sabbatum Sanctum » legitur: « An dem heiligen abinde » (f. 13^v); videtur versio vocis « vigiliae », sicut in vigilia Nativitatis Domini (f. 4^v).

¹⁸ Guignard, 116: Consuetudines. XXIII: « Item de vigilia pasche. In sabbato vigilie pasche... »; Cis 1, f. 132^v^b (missale): « Officium in vigilia pasche »; pariter Cis 2, Cis 4, Cis 5; Cis 3 autem: « Sabbato sancto ».

¹⁹ In P, R et H (Gr., Mconv) litaniae Sanctorum habentur intra Missam Sabbati Sancti, i.e. inter ultimum tractum et « Kyrie ». Inveniuntur autem in fine Gradualis in Cis 2, Cis 4.

²⁰ C. Vogel-R. Elze, *Le Pontifical romano-germanique du dixième siècle*, II (= Studi e Testi 277), Città del Vaticano 1963, 113, 114; M. Andrieu, *Les Ordines Romani du haut moyen âge*, V. Louvain 1961, 300, 302; Hesbert, III, n. 4858.

Antiphona *Sedit Angelus* cantabatur etiam Sabbato Sancto post vespas ad fontes (Salmon, II, 83; Rossi 231, f. 76). — Antiphona *Cum rex glorie* (adhibita interdum etiam in dominica Palmarum: Paléographie musicale X, 86; in Parasceve, in adoratione crucis: ibid. XIV, 64, tab. XII, XXV; in processione initio vigiliae paschalis: Pontificale Rothomagense s. XII: V. Leroquis, *Les Pontificaux manuscrits des bibliothèques publiques de France*, II, 1937, 222) invenitur pariter in quodam libello processionali medioevali, originis Dominicanae, Donaueschingen 882, sed e descriptione data non elucet utrum cantata fuerit feria VI in Parasceve in adoratione crucis, an mane in die Paschae (cf. EL, LXXXIV (1970) 184 et LXXXVI (1972) 78). Eandem antiphonam invenimus in alio libello processionali O.P. s. xv sub titulo « in die sco pasche ad processionem » (Londinii, British Library, Add. 28214, ff. 60^v-62^v). — Cf. E. J. Lengeling, *Unbekannte oder seltene Ostergesänge aus*

ante Matutinum vel Missam documenta Liturgiae Dominicanae correctione Humberti antiquiora non attestantur. In nostro Graduali hae antiphonae a librario posteriore propterea in ff. 70^v-71^v lin. 1-3 – i.e. intra Missam sabbati sancti (inter tractum *Sicut cervus* et cantum *Kyrieleison*) – scriptae sunt, quia haec folia a primo librario vacua relicta fuisse videntur.

2. f. 73^r, die Paschae, in fine responsorii *Haec dies*, neuma in ultima voce « ea » partim erasum est, eodemque loco, manu posteriore, brevius neuma scriptum est. Primo enim hoc *R.*, cum in Missa tum in Vesperis, cum neumate cantabatur. In B enim haec legitur rubrica ad Primam: « Post repetitionem antiphone statim inchoetur *R.* *Hec dies...* sine versu. Et sic dicatur cotidie ad omnes horas per ebdomad. usque ad sabbatum. preterquam ad matut. ad vespas autem dicatur cum versu illius diei. Et cum neuma » (f. 190^{rb}).

Eadem rubrica, fere ad verbum, in M (ff. 3^v-4^r). Pariter in R hoc *R.* cum integro neumate (ut in Grad. Rom.) habetur, cum in H ubique sine neumate reperitur. Notandum quod in codicibus manu scriptis ritus Cisterciensis *R.* *Haec dies* cum integro neumate invenitur²¹.

3. Dominicæ post Trinitatem cum Officio proprio sunt XXIII, in eoque concordat cum P, R, B, H²². Neque post festum Trinitatis neque post ultimam dominicam habetur aliqua rubrica de ordinandis vel repetendis Officiis, quando dominicæ XXII tantum vel plures quam XXIII fuerint.

4. Feriæ Quattuor Temporum mensis septembris inveniuntur post dominicam XIV post Trinitatem *Protector noster* (ff. 98^r-99^r). Eodem loco (= post dom. XV post Pent.) habentur in duobus Sacramentariis ritus Cisterciensis²³, sed in Gradualibus eiusdem ritus²⁴ post dominicam XVIII post

Handschriften des Bistums Münster, in Balthasar Fischer und Johannes Wagner, *Paschatis Sollemnia*, Basel, Freiburg, Wien 1959, 213-238.

²¹ Abbreviatio igitur in libris O.P. non emanat ex imitatione librorum Cisterciensium.

²² H addit orationes, epistolam et evangelium pro dominicis XXIV et XXV (cf. *Ordinarium*, nn. 720-721), habentur igitur 25 series orationum dominicalium distinctae. P et R pariter praebent 25 series orationum, sed in XXIII^a serie reperitur secreta *Da, misericors Deus*, et in XXIV^a postcommunio *Quaesumus, omnipotens Deus* (cf. Bruylants, I, 65-66, nn. 145-146; Deshusses, nn. 1195-1197 et 702-704). In Missali Fratrum minorum vi Regulae edito adsunt 23 series; in Ordine Missalis Haymonis de Faversham 24 series (cf. van Dijk, *Origins*, 174; Idem, *Authentic Missal*, 306-307; Idem, *Sources*, I, 82; II, 270). In Ordine Missalis Haymonis deest series *Deprecationem, Munera, Haec nos* (in H dominica III post Trinitatem; cf. *Ordinarium*, n. 696; de hac serie cf. Klaus Gamber, *Sakramentartypen*, Beuron 1958, 163; Deshusses, nn. 1135, 1136, 1137). — Apud Cistercienses pariter adsunt 24 series, deest series *Absolve*.

²³ Cis 1, Cis 5. Orationes in his Sacramentariis pro dom. XV post Pent. *O.s.d. da nobis fidei, Propitiare, Sumptis*, sunt eadem atque in H pro dom. XIV post Trinitatem (cf. *Ordinarium*, n. 707).

²⁴ Cis 2, Cis 3, Cis 4.

Pentecosten *Iustus es, Domine ... Co Vovete* seu post dominicam XVII post Trin., ubi habentur in B, P, R et H²⁵.

5. Deest Officium Corporis Christi, etiam in foliis manibus recentioribus scriptis.

ff. 104^v-133^v. In vigilia sancti andree ad missam. *Dominus secus mare galilee...*
Off. *Filiae regum*. Co. *Feci iudicium*.

Proprium Sanctorum (sine titulo), a vigilia sancti Andreae apostoli usque ad festum S. Catharinae virginis et martyris. Eodem modo (i.e. a vigilia S. Andreae usque ad memoriam Ss. Vitalis et Agricola²⁶) decurrit Proprium Sanctorum in E, P, R, B et H, cum in libris ritus Cisterciensis²⁷ decurrat a festo S. Stephani protomartyris (26 dec.) usque ad festum S. Thomae apostoli (21 dec.), et in missali Honorii III atque in illo Fratrum Minorum vi Regulae edito²⁸ a S. Silvestro (31 dec.) ad S. Thomam apostolum (21 dec.).

Proprium Sanctorum nostri Gradualis continet, sicut in E, P, R, B et H, omnia festa infra octavam Nativitatis Domini occurrentia (a S. Stephano ad S. Silvestrum), cum alibi plerumque in Proprio de Tempore inveniuntur. In M, quod alteram tantum partem Antiphonarii continet, Proprium Sanctorum finem habet cum Officio S. Catharinae V. M.; eius dispositio concordat igitur cum E, P, R, V, B et H.

ff. 133^v-155^r. In vig. unius apostoli. *Ego autem sicut oliva ... Co. Dilexisti iusticiam et odisti iniquitatem propterea unxit te deus tuus*.

Commune Sanctorum (sine titulo): in vig. unius apostoli ...²⁹ [In die] ...³⁰
De martiribus ... in nat. plurimorum mrm ... De confessoribus ... De virginibus.

Eadem Communia, cum omnibus partibus suis, habentur in P et R. H non praebet Missam pro vigilia unius apostoli, sed haec Missa illic habetur in vigilia sancti Matthaei (sicut in Cis 4). Ceterum, pariter secundum P, R et V haec Missa adhibetur in sola vigilia sancti Matthaei, unde explicatur cur in H tamquam Missa de vigilia unius apostoli suppressa sit.

Omnnes partes (Introitus, R/R., versus alleluatici, Offertoria, Communio-

²⁵ Cf. Ordinarium, nn. 710-711.

²⁶ Haec memoria natura sua deest in Graduali (etiam in H), quia nihil de ea cantatur in Missa, in qua de ea fit memoria.

²⁷ Cis 1, Cis 2, Cis 3, Cis 4, Cis 5.

²⁸ van Dijk, *Origins*, 172-240; Idem, *Authentic Missal*, 265; Idem, *Sources I*, 44, 80.

²⁹ Deest Communio.

³⁰ Sine titulo incipit, cum littera initiali maiore, Missa unius apostoli *Mihi autem*; in P et R habetur titulus « In die ».

nes) horum Communium eodem ordine in V, P et R³¹ inveniuntur, cum in H aliae partes ex his Communibus in Proprio Sanctorum habeantur³², aliae omnino omissae sunt. Desiderantur sc. in H, in Communi unius martyris Officium seu Introitus *Iustus non conturbabitur*. *℣. Noli aemulari*; in Communi plurimorum martyrum: Introitus *Iudicant sancti*. *℣. Exsultate in Domino*, *℟. Clamaverunt*. *℣. Iuxta est*, versus alleluaticus *Exsultabunt sancti in gloria*, Communiones *Anima nostra*, *Signa eos*, *Quod dico vobis*, *Beati mundo corde*; in Communi virginum: *℟. Diffusa est*. *℣. Propter veritatem*, Offertorium *Offerentur regi virgines post eam proximae eius offerentur tibi*, Communiones *Principes persecuti sunt*, *Dilexisti*.

Hae partes omissae pertinent, magna ex parte, ad Missas de memoriis proprias, in H suppressas.

ff. 155^r-156^r. In dedicatione. *Terribilis est locus iste ... et pulsanti aperietur alleluia alleluia*.

Missa de Dedicatione ecclesiae. In E, M, B et H officium Dedicationis invenitur inter Officium de Tempore et Proprium de Sanctis (sicut v.g. in Cis 3 et in missali ad usum Sarum), in P et R autem, sicut hic, post Commune Sanctorum (ut plerumque alibi).

Officium huius Missae idem est in V³³, P, R et H, nisi quod in V habetur versus alleluaticus *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum*, qui a s. x invenitur frequenter et ubique³⁴, e.g. in traditione Cisterciensi³⁵ et Praemonstratensi³⁶.

³¹ Offertoria de Communi Virginum *Offerentur regi virgines proximae eius offerentur tibi* (V omittit tibi) in letitia et exultatione adducentur in templum regi domino et *Offerentur regi virgines post eam proximae eius offerentur tibi* (V: ff. 153^v-154^r; P: f. 271^{ra}) in R ordine inverso inveniuntur. — Haec duo Offertoria in Ord. Carm. vocantur Offerenda maior et Offerenda minor, et cantantur primum in festis ix lc. et supra, alterum in festis iii lc. (Ord. Carm. 244).

³² In H Introitus de Communi unius martyris *Iustus ut palma*. *℣. Bonum est confiteri* habetur in Decollatione S. Iohannis Baptistae; Communio de eodem Communi *Qui mihi ministrat* in festo S. Laurentii. Introitus de Communi plurimorum martyrum *Clamaverunt* in festo Ss. Marcellini et Petri, et *Timete Dominum* in vigilia Omnium Sanctorum; Communio de eodem Communi *Multitudo languentium* in festo Ss. Fabiani et Sebastiani, et alia Communio *Etsi coram hominibus* in festo Ss. Iohannis et Pauli.

³³ V non praebet tractum pro tempore Septuagesimae.

³⁴ Notitia benevole data a Dom. E. Cardine O.S.B.

³⁵ Cis 4, f. 217^v: « Alla. Adorabo ad. *Item aliud. Alleluia. Vox exultationis* »; non in Cis 2 et Cis 3.

³⁶ Pl. F. Lefèvre, L'Ordinaire de Prémontré d'après des manuscrits du XII^e et XIII^e siècle, Louvain 1941, 110; Idem, La Liturgie de Prémontré, Louvain 1957, 139.

ff. 156^r-156^v. Pro peccatis. *Omnia quecumque*³⁷ ... Of. *Sperent*³⁸.

Octo Missae sic dictae « ad diversa »: pro peccatis, pro familiaribus, pro tribulatione³⁹, pro pace, pro iter agentibus, pro infirmis, pro pluvia, ad poscendam serenitatem.

Eadem Officia Missarum eodemque ordine inveniuntur in P et R, quae tamen octo alias addunt Missas (= ternas orationes) ad diversa: ad deposcenda suffragia sanctorum, pro rege, pro episcopis et abbatibus et prioribus, contra aerias tempestates, missa votiva⁴⁰, pro salute vivorum, pro temptatione carnis, ad invocandam gratiam Spiritus Sancti.

Omnes hae Missae « ad diversa » in R (sicut hic) succedunt Missae de Dedicatione ecclesiae, cum in P primum sequantur missae votivae (de quibus infra), deinde Missae « ad diversa ».

E priore serie Missarum « ad diversa » H retinuit solam Missam « pro quacumque necessitate »: *Salus populi* (Ord. n. 886), pro ceteris intentionibus, non autem eodem numero neque eodem ordine, ternas tantum orationes. Ceterum, in V et R pro his Missis initia cantuum tantum indicantur, quia omnes hi cantus in Missis praecedentibus inveniuntur.

ff. 156^v-158^r. Sabbato. Officium beatissime v. marie. *Salve sancta*. *Ψ*. *Post partum ... Ite missa est*.

Una sola Missa votiva, et quidem de B. Virgine, quae respondet Missae « a Purificatione ad Adventum » in H (Ord. n. 884), sine variationibus pro temporibus Septuagesimae et paschali. Officio huius Missae, cuius versus alleluiaicus *Virga Iesse*, Offert. *Recordare*, Co *Ave regina*, ex integro dantur, insertum est Ordinarium Missae proprium. Post versum alleluiaicum legitur initium Sequentiae: *Hodierna*, sine notis musicis, et super hanc vocem, litteris minoribus, tribus lineis scripta sunt initia aliarum Sequentiarum: *Ave Maria*. *Verbum bonum*. *Ave virgo gratiosa*. *Salve mater salvatoris*.

³⁷ Videtur error pro « Omnia que ». Idem error f. 110^v (dominica XX post Trin.), ubi tamen remittitur ad feriam V post dominicam in Passione (f. 51^r), ubi habetur integer Introitus *Omnia que fecisti...*

³⁸ Deest Communio Missae ad poscendam serenitatem *Tu mandasti* (P et R).

³⁹ P: « pro quacumque tribulatione » cum orationibus pro Ecclesia (= Ordinarium, n. 888), deinde iterum « pro quacumque tribulatione », seu orationes *Ineffabilem*, *Durificet* (sic), *Presta quesumus domine* (= Ordinarium, n. 886). R: « pro tribulatione ecclesie » (= Ordinarium, n. 888).

⁴⁰ P et R tres orationes (Deshusses, nn. 1289, 1290, 1292) ut in Ordinario, n. 899 (« pro tentatis et tribulatis »; alibi: « pro amico », cf. Bruylants, I, n. 589). Deinde P addit: « Al. mis. voti. », cum his orationibus *Omnipotens sempiternae deus miserere famulis tuis*, *Proficiat domine*, *Sumentes domine perpetue sacramenta salutis* (Deshusses, nn. 1293, 1294, 1295; S.J.P. van Dijk, Three manuscripts of a liturgical reform by John Cajetan Orsini (Nicholas III), in *Scriptorium* VI (1952) 239, n. 20).

In P, R et H hae habentur Missae votivae: de sancta Trinitate ⁴¹, de sancto Spiritu, de sancta Cruce, de beata Virgine (in P quattuor, in R duae, in H tres), quae in P et H praecedunt Missas « ad diversa », in R autem, sicut hic, illas sequuntur.

Officium Missae « a Purificatione ad Adventum » (temporibus Septuagesimae et paschali exceptis) idem est in V, P, R et H (Ord. n. 884), nisi quod in V et H habetur versus alleluaticus *Virga Iesse*, in P: *Post partum*, in R: *Salve virgo mater Dei templum sancti spiritus que sola fuisti digna portare regem celorum et dominum* ⁴².

Post Missas votivas de B. Virgine sequitur in P, sine aliquo titulo: « oratio. *A cunctis nos quesumus ...* ». Fortasse hic, statim post Missas de B. V., ponitur tamquam « Missa quam dominus Innocentius papa tertius fecit in honore beatissimae virginis Marie » ⁴³; postea sequuntur, ut dictum est supra, Missae « ad diversa ». In H (Mconv et Mmin. alt.), post Missas de B. V., eodem igitur loco atque in P, sequitur: « De omnibus sanctis. oratio. *Concede quesumus omnipotens deus ut intercessio ...* Alia oratio. *A cunctis ...* » (cf. Ord. n. 885).

ff. 158^r-158^v. post. bened. aque. *Asperges me ... sicut monilia. a cubilibus.*

Cantus ad nonnullas processiones: ad aspersionem aquae benedictae, in rogationibus, in die assumptionis.

a) Ad aspersionem aquae benedictae: *Asperges me ... V. Miserere ... Vidi aquam ... V. Hec dies...*, et duorum aliorum versuum initia tantum: *Confitemini domino. Emitte spiritum*, cum notis musicis ⁴⁴.

b) De Rogationibus nihil habetur in nostro codice suo loco in Proprio de Tempore, nisi Officium Missae; hic (f. 158^v) habetur tantum ant. *Exsurge* ⁴⁵.

⁴¹ Missa votiva de Trinitate per Ordinem Missalis Haymonis de Faversham (1243-1244) ex iure in Missale Fratrum Minorum introivit (van Dijk, Origins, 243; cf. 375, n. 2; Idem, Sources, II, 318).

⁴² Hic versus alleluaticus invenitur in pluribus ms. s. XIII et s. XIV, accomodatus ad melodiam versus *Dulce lignum* (notitia data a Dom. E. Cardine).

⁴³ Bibliotheca Vaticana, S. Maria Maggiore 52 (olim BB.II.15), f. 233^r; cf. van Dijk, Origins, 240; Idem, Authentic Missal 275, cf. 267.

In Ordine Missalis Haymonis hae orationes inscribuntur « Alia missa ad poscenda suffragia sanctorum quam fecit dominus Papa Innocentius » (van Dijk, Sources, II, 321), in H autem « De omnibus sanctis » (cf. Ordinarium, n. 885).

⁴⁴ In HGr antiphonae *Asperges me* et *Vidi aquam* habentur in initio libri. In R autem, sicut in Cis 2 et Cis 4, in fine libri. P praebet benedictionem aquae et preces post aspersionem cantandas pariter in fine libri.

⁴⁵ In Consuetudinibus Cisterciensium nihil legitur de cantanda antiphona *Exsurge* ante litanias, quae in choro cantantur (Guignard, 121, XXVIII). Haec antiphona apud Cistercienses cantatur in capite ieiunii, ante benedictionem cinerum (ib. 103, XIII).

In P (f. 144^v) et R (f. 106^{r-b}) datur suo loco in Proprio de Tempore ordo cantandi antiphonam *Exsurge* et litanias.

c) Cum in Proprio de Tempore pro dominica palmarum et festo Ascensionis Domini, et in Proprio de Sanctis pro festo Purificationis B. V., noster codex praebet ordinem processionis, pro festo Assumptionis talis ordo deest. Hic (f. 158^v) tantum habetur: « In die assumptionis: [In] Introitum eccle. *Ibo michi ad montem mirre ...*⁴⁶ ». Sola ant. *Ibo michi* datur, quia, ut videtur, ceteri cantus processionis noti considerantur et alibi inveniri possunt (R/R. *Felix, Sicut cedrus, Quae est ista*). Notandum est, etiam in P (non autem in R) desiderari ordinem processionis in die Assumptionis, unde fortasse conicere licet initio Ordinis processionem in hoc festo usitatam non fuisse⁴⁷.

ff. 158^v-165^r. *Flectamus genua ... Requiescant in pace. amen.*

Toni communes: *Flectamus genua. Levate. Humiliate capita vestra deo*, et Kyriale⁴⁸: *Credo in unum deum ... et vitam venturi*⁴⁹ *seculi amen* (I). In festo toto duplici. *Kyrieleyson*⁵⁰ ... (= « Fons bonitatis ») *Gloria* ... (sine *Sanctus* et *Agnus*). In festo toto duplici vel [duplici]. *Kyrieleyson ... Gloria ... Domine fili unigenite ihesu xpiste. et sancte spiritus*⁵¹. *Domine deus* ... (= Grad. Rom., ad libitum I). In semiduplici. *Kyrie* ... In festis ix lc. *Kyrie ... Gloria* (e Missa XIV) ... In dominicis diebus. *Kyrie* ... (e Missa XI) *Gloria ... Domine fili unigenite salus nostra*⁵² *ihesu xpiste* ... (sine *Sanctus* et *Agnus*). In feriabus. *Kyrie ... Sanctus ... Agnus dei ... Benedicamus* (deest: *domino*). [sine titulo⁵³]. *Kyrie ... Gloria* ... (sine *Sanctus* et *Agnus*). Pro defunctis. *Kyrie ... Sanctus*

⁴⁶ Hesbert, III, n. 3160. — De hac antiphona cum versu cf. Revue de chant grégorien XVIII (1909) 4. — In C invenitur haec antiphona, non in parte quae Processionarium dici posset (ff. 116^v-123^v), sed statim post *Ite missa est. Deo gratias* Missae « In commemoratione beatae Mariae virginis » (f. 36^{rv}).

⁴⁷ Cistercienses processionem in festo Assumptionis B.M.V. admiserunt a. 1233: J. Canivez, Le rite cistercien, in EL 63 (1949) 305, n. 180.

⁴⁸ Nisi aliter notetur, quodlibet Ordinarium comprehendit *Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus Dei, Ite missa est* et (vel) *Benedicamus Domino*; ubi desunt *Sanctus* et *Agnus*, deest pariter *Ite missa est*.

⁴⁹ Ita etiam in C et R; in HGr. et HMconv (super rasuram): *futuri saeculi*; in Cis 4: *vēturi*, sed litterae « vē » super rasuram.

⁵⁰ Ita etiam in C; in R et H: *Kyrie eleyson*.

⁵¹ Haec verba *et Sancte Spiritus* (cf. J. A. Jungmann, Missarum Sollemnia, I³, Wien 1952, 450, nota et Nachträge zur 3. Auflage, 584, S. 450) inveniuntur pariter in R, in duabus melodiis hymni *Gloria* (in festis tot. dupl.): in prima melodia in textu (sed erasa), in altera (= Grad. Rom. ad lib. I) in margine; desunt autem in C et H. Haec altera melodia (ad lib. I) deest in H.

⁵² Haec verba *salus nostra* habentur pariter in R et H (V: in dominicis diebus = H: in semiduplici), non autem in C, in quo codice deest haec melodia hymni *Gloria*.

⁵³ Deest, ut videtur, titulus: « Infra oct. et in missis matutinalibus » (ut in C et H).

sanctus etc. (incipit tantum = in feriabus). *Agnus dei* etc. (incipit, sine notis musicis). *Agnus dei qui tollis peccata mundi dona eis requiem sempiternam. Requiescant in pace amen.*

ff. 165^r-183^v. *Letabundus exultat* (sic) ... De spiritu sancto *Veni sancte spiritus ... da perhenne gaudium amen.*

Sequentiae et benedictio cerei paschalis. Neque in Proprio de Tempore neque in Proprio Sanctorum suo loco indicantur Sequentiae cantandae. Hic inveniuntur hoc ordine: (1) [sine titulo] *Letabundus* ... In epiphania (sic)⁵⁴. (2) de beata virgine. *H[ac clara die turma festiva da(t) premia*⁵⁵ *Mariam concrepando* ... (3). In annuntiatione. *Ave maria gratia plena* ... (4). In pascha. *Victime paschali* ... (5). In ascensione domini. [*Rex omnipotens ... non post multos*⁵⁶ *enim dies mittam vobis* ... (6) In pentecosten. *Sancte spiritus assit nobis gratia* ... (7). In assumptione beate virginis marie. *A rea virga prime matris*... (8). In nativitate beate virginis. *Hodierne lux diei* ... (9). De quolibet sancto⁵⁷. *Superne matris gaudia* ... (10). De omnibus sanctis vel in dedicatione ecclesie. *Gaudeat ecclesia per quatuor climata mundi* ... (11). [sine titulo, de B. V.]. *Verbum bonum et suave* ... (12). De beata virgine maria. *Ave virgo gratiosa* ... (13). De beata virgine. *Salve mater salvatoris* ...⁵⁸ (14). De sancto dominico. *In celesti yerarchia nova sonent* (sic) *armonia novo ductu* (sic) *cantico* ... (15). [sine titulo, de B.V.] *Ave preclara maris stella*⁵⁹ ... In vig. pasce. benedictio cerei. *Exultet iam angelica turba celorum ... deus in unitate spiritus sancti per omnia secula seculorum amen.* (16). De spiritu sancto. *Veni sancte spiritus* ...

Harum Sequentiarum nn. 1-10 inveniuntur, et quidem eodem ordine, in C (ff. 15^r-31^v), in quo codice, post Officium et Sequentiam sancti Nicolai, habentur duae aliae Sequentiae B. V. (ff. 47^r-48^v): *Verbum bonum et suave* (= n. 11) et *Virgini marie laudes immolant christiani. Eva tristis*⁶⁰ (quae deest in V).

⁵⁴ Rasura: fortasse legendum: « In epiphania ut supra » (= *Letabundus*).

⁵⁵ Ultima linea f. 165^v, in quo initium Sequentiae habebatur, erasa est eiusque loco scriptum: *Kyrie leyson. Xpe leyson. Kyrie leyson*, cum notis musicis.

⁵⁶ Initium Sequentiae erasum est eiusque loco invenitur, cum notis musicis, ultimis quinque lineis f. 167^v: *Sanctus, Sanctus, ...*, et, primis duabus lineis folii insequentis: *Deo nostro (nostra?) concio depangat hoc sollempnia mundi cordis organo gratias.*

⁵⁷ Mirum est tum in V tum in C et P primo inveniri Sequentiam de quolibet sancto, deinde de omnibus sanctis.

⁵⁸ Stropha *Nos spinetum ... nescia*, quae deest in H (f. 366^{ra}, in Assumpt. B.V.), erasa est; adest haec stropha in R.

⁵⁹ Sequentia in Assumptione B.M.V. Herimanni Contracti: († 1054): AH, L, 313.

⁶⁰ Alibi haec Sequentia incipit *Virgini marie laudes intonent christiani* (Chevalier, n. 21656). In R eadem Sequentia incipit *Virginis marie laudes intonant christiani*

Sequentiae nn. 1-11 habentur pariter in P, sed ibi post Sequentiam in Annuntiatione dominica (n. 3) additur Sequentia de beata virgine *Verbum bonum* (= 11) et inter 9 et 10, contra rectum ordinem, inseritur de sancto spiritu *Veni sancte spiritus* (= n. 16). Insuper, cum Sequentia *Gaudeat ecclesia* (n. 10) iuxta V adhibeatur « de omnibus sanctis vel in dedicatione ecclesie », iuxta P haec Sequentia quidem cantatur in festo Omnium Sanctorum, at in Dedicatione ecclesiae dicitur *Ierusalem et syon filie* ⁶¹.

R quoque, maxima ex parte (ad primas decem Sequentias quod attinet), concordat cum V, nisi quod pro Epiphania Domini exhibet Sequentiam propriam *Epiphaniam domino canamus gloriam* ⁶², et quod desunt Sequentiae *Hac clara die* (n. 2) et *Gaudeat ecclesia* ⁶³ (n. 10).

E comparatione codicum V, C, P, R facta colligi videtur posse Sequentias nn. 1-10 nucleum fuisse Sequentiarum dominicani primitivi. Harum Sequentiarum aliae iam non reperiuntur in H (nn. 2, 5, 7, 10, 15) aliae ibi aliis diebus assignantur ⁶⁴.

Admirationem movet Benedictionem cerei paschalis inter Sequentias inveniri. Aliae melodiae antea forsitan in Ordine usitatae haec benedictio substituenda esset? Aliquis suspicari fere cogitur Sequentias nn. 11-16 (inter quas nullus ordo logicus detegi potest) et Benedictionem cerei paululum tardius tamquam Supplementum nucleo primitivo Sequentiarum adiectas fuisse ⁶⁵.

ff. 183^v-202 Additamentum a variis librariis paulo recentioribus scriptum:

f. 183^v Sequentia de Communi Apostolorum [P]salle Christo laude, prece (AH XXXIV, 291).

(f. 248^v). In H habetur Sequentia de B.V. pro tempore paschali (f. 367^{ra}), cuius prima tria verba eadem sunt, sed ceterum omnino differt: *Virgini marie laudes concinant christiani. O beata domina* (Chevalier, n. 21651).

⁶¹ Cf. quae supra (p. 11) dicta sunt ad ff. 4-5^r.

⁶² Suo loco, in Proprio de Tempore, indicatur: « Sequen. *Letabundus* », sed in fine codicis, inter Sequentias, habetur Sequentia propria: *Epiphaniam domino canamus* (A H, VII, 53). Invenitur haec Sequentia pariter in P, in Supplemento pro Ecclesia Parisiensi (f. 321^{va}).

⁶³ In festo Purificationis B.V. indicatur: « Sequen. *Hac clara* », et in festo Omnium Sanctorum: « Sequentia. *Gaudeat ecclesia* », sed utraque Sequentia deest in Sequentiario, in fine codicis.

⁶⁴ Festo Omnium Sanctorum assignatur: *Superne matris gaudia* (n. 9, de quolibet sancto); festo Assumptionis B.V.: *Salve mater salvatoris* (n. 13, de beata virgine); Missis de B. V. in sabbatis a festo Trinitatis ad Adventum: *Hodierne* (n. 8, in Nativitate B. V.).

⁶⁵ Hanc coniecturam confirmare videtur modus diversus quo litterae initiales maiores in ff. 173^v-183^r ornatae sunt. Notandum insuper quod Sequentias 11, 12, 13 eas esse quae f. 157^r litteris minoribus indicantur (cf. supra, p. 16).

- f. 184^v Sequentia de B. V. *Ave virgo virginum, ave lumen luminum.*
 f. 185^v tres versus alleluatici: de S. Dominico *Alleluia. Pie Pater Dominice*; de Corona spinea *Alleluia. Dyadema spineum*; de S. Petro M. *Alleluia. Felix ex fructu triplici.*
 f. 186^r versus alleluaticus de S. Iohanne Ev. *Alleluja. Ave Ihesu Karissime.*
 f. 186^v Sequentia de S. Iohanne Ev. *Verbum Dei Deo natum.*
 f. 189^v Sequentia de Apostolis *Psalle Christo*, ut supra (additis alia manu in marginibus duabus strophis de S. Matthia et de S. Marco).
 f. 191^v Sequentia de B. V. *Salve sancta Christi parens*; versus alleluaticus de B. V. *Felix es sacra virgo Maria* (abrumptur post vocem « iusticie »).
 ff. 194-195 chartacea, inserta: tractus in anniversario mortuorum *Si ambulem ...*
 f. 196^r Sequentia de S. Augustino *De profundis tenebrarum.*
 f. 196^v Sequentia de B. V. *Ave virgo gloriosa.*
 f. 197^r Sequentia de S. Petro M. *Adest dies celebris.*
 f. 198^r Sequentia de B. V. *Lauda sponsa genitricem* (in Visitatione B. V.); versus alleluaticus *Magnificat ... salutari tuo.*
 ff. 201-202 chartacea: Sequentia *Dies irae.*

Haec folia quoque, sicut ff. 1-5, sunt aliquod Supplementum, quo liber Gradualis adaptatur partim Liturgiae ab Humberto recognitae (Sequentiae B. V. *Ave virgo virginum, Salve sancta Christi parens, Ave virgo gloriosa*: Ord. n. 907; Sequentiae de S. Augustino et S. Petro M.; versus alleluatici de S. Dominico, Corona Spinea, S. Petro M.), partim usibus localibus (v.g. Sequentia et versus alleluaticus de S. Iohanne Ev.).

In hoc Graduali haec praesertim notatu signa sunt:

1. Missae matutinales de memoriis

Pluribus diebus habetur in hoc Graduali, praeter Missam de die (sc. de festo, de die octava vel de die infra octavam), Missa integra alicuius Sancti vel plurimorum Sanctorum, de quibus secundum H sola memoria fit in Missa de die (et de quibus proinde ibidem una vel tres orationes tantum dantur):

Hilarii et Remigii (13 ian.)⁶⁶,
 Alexandri, Eventii et Theoduli (3 maii)⁶⁷,

⁶⁶ Deest Communio. In P et R indicatur R. *Sacerdotes eius*, in V autem R. *Ecce sacerdos magnus*. Quoniam R. *Ecce sacerdos* est R. de uno Confessore, in V fortasse habendus est error, in libris posterioribus (P et R) correctus.

⁶⁷ Desideratur Communio.

Processi et Martiniani (2 iul.)⁶⁸,
 Xysti (6 aug.)⁶⁹,
 Cyriaci et sociorum (8 aug.),
 Tiburtii (11 aug.),
 Timothei et Symphoriani (22 aug.),
 Sabinae (29 aug.),
 Felicis et Aadaucti (30 aug.),
 Gorgonii (9 sept.)⁷⁰,
 Prothi et Hyacinthi (11 sept.)⁷¹,
 Cornelii et Cypriani (14 sept.),
 Nicomedis (15 sept.).

Videtur agi de Missa matutinali de his Sanctis, dum Missa maior fit de festo, vel de die octava vel die infra octavam.

Quid simile occurrit in P et R. De Sanctis supra nominatis (praeterquam de S. Tiburtio: 11 aug.) pariter in P habentur Missae integrae; in R autem pro aliis habentur Missae integrae, pro aliis⁷² tres orationes tantum⁷³ (sicut in H)⁷⁴. Habentur in P et R nonnullae quoque rubricae

⁶⁸ In V indicatur versus alleluaticus *Isti sunt d[uo?]*, sed in f. CXXXVII quo remittitur, non habetur iste versus; habendus est error pro: *V. Isti sunt qui venerunt* (ut in P), qui revera invenitur in Communi.

⁶⁹ In P habetur Missa integra de S. Xysto cum memoria de Ss. Felicissimo et Agapito; in V Missa de solo S. Xysto. In R res complicata apparet: post Missam Inventionis S. Stephani sequuntur tres orationes de S. Xysto (*Deus qui conspicias, Sacrificiis praesentibus, Praesta qs*; eadem ac in P), sine memoria de Ss. Felicissimo et Agapito; deinde sequitur Missa de S. Dominico, et demum oratio de Ss. Xysto, Felicissimo et Agapito («sanctorum sexti felicissimi et agapiti mrm oro *Deus qui nos concedis*, quere in com. »); cf. notam 3.

⁷⁰ Desideratur Communio, sed in P habetur eadem Communio ac in Grad. Cist.: *Magna est gloria*.

⁷¹ Desideratur versus alleluaticus, qui in P et Grad. Cist. est *Te martyrurum*. – P et Grad. Cist. praebent Co *Quod dico vobis*, V autem *Magna est*. Quoniam in Missa quae in Graduali praecedit (de S. Gorgonio) desideratur Co *Magna est* (cf. notam praecedentem), hic fortasse error habendus est.

⁷² Pro Processo et Martiniano (2 iul., infra oct. App. Petri et Pauli), Felici et Aadaucto (30 aug., infra oct. S. Augustini), Gorgonio (9 sept., infra oct. Nat. B. V.), Protho et Hyacintho (11 sept., idem), Nicodemo (15 sept., die oct. Nat. B. V.), Tiburtio (11 aug., infra oct. S. Dominici).

⁷³ Tres habentur casus dubii: praeter tres orationes, de Ss. Cyriaco et sociis dantur epistula (ex integro) *Reddet deus mercedem* et evangelium *Convocatis ihs duodecim*; de Ss. Timotheo et Symphoriano indicatur epistula *Absterget deus*; de S. Sabina epistula *Qui gloriatur et Co Principes persecuti*.

⁷⁴ In R numerus igitur dierum in quibus duae habentur Missae conventuales, Missa matutinalis de memoria, maior autem de Officio diei, iam imminutus est.

particulares, e quibus apparet agi de Missis matutinalibus: in P, in die octava Assumptionis B.V., legitur: « Missa mat. de sanctis; maior de octava fiat »; in P et R, in festo Exaltationis S. Crucis (14 sept.) legitur: « Missa mat. de martyribus » (P subiungit; « ad maiorem missam Offm. *Nos autem gloriari...* »).

Formularia harum Missarum eadem sunt in V, P et, quatenus ibi inveniuntur, in R.

Notandum autem non omnes has Missas inveniri in primitivo Graduali Cisterciensi, quamvis omnes hi Sancti habeantur in primitivo Calendario Cisterciensi:

de Ss. Xysto, Cyriaco et sociis, Felici et Adaucto, Gorgonio, Protho et Hyacintho, Cornelio et Cypriano, eadem formularia reperiuntur in Graduali Cisterciensi;

de Ss. Hilario et Remigio, Timotheo et Symphoriano, Nicomede, desunt Missae propriae in Graduali Cisterciensi;

de Ss. Alexandro, Eventio et Theodulo, Processo et Martiniano, Sabina, formularia Gradualis nostri non omnino eadem sunt ac in Graduali Cisterciensi ⁷⁶.

2. Offertoria cum repetitione

In Graduali Romano habentur nonnulla Offertoria, quorum prima verba repetuntur, sive statim initio Offertorii sive in fine eiusdem ⁷⁶, quas repetitiones Ferretti vocat: « particolarità non solo singolare, ma addirittura strana ⁷⁷ ».

Repetitiones initio Offertorii hae sunt: 1. *Iubilate Deo omnis terra: iubilate ...* (Dom. I post Epiph. = Dom. infra oct. Epiph.); 2. *Iubilate Deo universa terra: iubilate ...* (Dom. II post Epiph. = Dom. I post oct. Epiph.); 3. *Benedictus es, Domine, doce me iustificationes tuas: benedictus es...* (Dom. Quinq.); 4. *Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui et dixit: precatus est...* (feria V post Dom. II Quadr.) ⁷⁸.

⁷⁶ Missa de Ss. Processo et Martiniano differt quantum ad versum alleluaticum et Communionem, Missa de Ss. Alexandro, Eventio et Theodulo et Missa de S. Sabina, quantum ad versum alleluaticum.

⁷⁶ *Domine, in auxilium meum respice* (feria VI post Dom. II Quadr.); *De profundis clamavi ad te, Domine* (Dom. XXIII post Pent.). De his repetitionibus non agimus, quia desunt cum in V, P, R, tum in H.

⁷⁷ Paolo M. Ferretti O.S.B., *Estetica gregoriana*, Roma 1934, 214.

⁷⁸ R. J. Hesbert, *Antiphonale Missarum Sextuplex*, Bruxelles 1935, nn. 19b, 21b, 36b, 50a.

Reperiuntur hae repetitiones etiam alibi, v.g. in Missali ad usum Sarum.

Codex noster exhibet Offertoria 1, 2, 4 cum repetitione ⁷⁹, Offertorium 3 sine repetitione. In hoc autem ultimo casu, in margine dextro (f. 23^r), leguntur, sine notis musicis, verba (prima manu, ut videtur, scripta): *Benedictus es domine doce me iustificationes tuas*; videtur agi de oblivione scriptoris.

In R haec quattuor Offertoria inveniuntur cum repetitione, in P sola 2 et 4; in H repetitiones omnino desunt.

Notandum quod hae repetitiones in Graduali Cisterciensi ab eius correctoribus iam inde ab initio suppressae sunt, praeterquam in Offertorio 3 *Benedictus es, Domine* ⁸⁰.

3. *Alleluia* cum duobus vel tribus versibus

Secundum sententiam satis bene fundatam versus alleluaticus est unicum membrum restans psalmodiae antea longioris ⁸¹. Et sane in nonnullis codicibus musicis antiquis *Alleluia* duobus versibus instructum apparet, v.g. in codice Einsiedlenensi 121 decem inveniuntur *Alleluia* cum duobus versibus ⁸². Secundum L. Eizenhöfer, primus versus plenum suum sensum non obtinet, nisi alter versus addatur ⁸³, v.g. dom. XXI post Pent.: *Ψ. In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Ψ. Facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius* (Ps 113, 1-2).

Codex noster exhibet septem *Alleluia* duobus versibus, duo autem tribus versibus instructa:

⁷⁹ Iuxta Offertorium 1, in margine sinistro (f. 17^v), legitur: Va-cat; in Offertorio 4 verba repetita linea deleta sunt (f. 35^r).

⁸⁰ S. Marosszéki, Les origines du chant cistercien. Recherches sur les réformes du plain-chant cistercien au XII^e siècle, in *Analecta S. Ordinis Cisterciensis VIII* (1952) 74: « Fantaisie? Inadvertance? L'on ne sait trop ».

⁸¹ A. Eizenhöfer, Der Allelujagesang vor dem Evangelium in *EL* 45 (1931) 374-382.

⁸² *Paleographie Musicale*, Vol. IV. Cf. P. M. Ferretti, *Estetica gregoriana*, Roma 1934, 195; Durandus, *Rationale*, lib. VI, cap. 4; E Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, IV, X, XXVII. — Plures versus alleluatici inveniuntur v.g. in *Missali Honorii III* (Bibl. Vat., S. Maria Maggiore 52 = olim BB II 15) et *Missali Fratrum Minorum vi Regulae edito* (van Dijk, *Sources I*, 81, n. 4), sed non iidem qui in V, P, R.

⁸³ J. A. Jungmann, *Missarum Sollemnia. Nachträge zur dritten Auflage* (1952), Wien-Freiburg, 1958, 586, I, S. 549⁸⁴.

Desuravi et adhuc tecum
 sum alleluia posuisti
 super me manum tuam alle
 luia mirabilis facta
 est scientia tua alleluia alleluia Domine pro
 lasti me et agnouisti me tu agnouisti sessionem meam
 et resurrectionem meam. *Ps.* **I**re di es quam fe
 cit dominus exultemus
 et letemur in ea. **L**ofitemini do
 mino quoniam tuam bonum quoniam

Vat. lat. 10773, f. 73^r, Missa in die Paschae; GR. *Hec dies cum neumate (eraso)*;
 cf. p. 13

me... culum... miserere... dia e us
Aue tu a pascha
 nostrum... immola
 tus est xpi tus. Epule mur
 ma zimus sinceri tatis et uerita tis
Terra tremuit et que uir dum resur
 geret iudicium de us al le
 uia pascha nostrum immolatus est xpistus alle
 uia ita q epule mur ma zimus sin
 ceritatis et ueritatis alle uia alle uia alle uia.

Vat. lat. 10773, f. 73^v, Missa in die Paschae: duo versus alleluiatici; cf. p. 25

A. Dom. II Adv.:	<p>☩. <i>Laetatus sum ... ibimus</i> (Ps 121, 1) ☩. <i>Stantes erant ... Ierusalem</i> (... , 2)</p>
Pascha:	<p>☩. <i>Pascha nostrum ... est Christus</i> (1 Cor 5, 7) ☩. <i>Epulemur in azymis ... veritatis</i> (... , 8)</p>
Feria VI p. Pascha:	<p>☩. <i>Angelus Domini descendit ... super eum</i> (Mt 28, 2) ☩. <i>Respondens autem angelus ... Iesum Nazarenum</i> (..., 5)</p>
Purificatio B. V.	<p>☩. <i>Post partum Virgo ... intercede pro nobis</i> ☩. <i>Adorabo ad templum ... nomini tuo</i> (Ps 137, 2)</p>
Nat. Ioh. Bapt.:	<p>☩. <i>Inter natos ... Iohanne Baptista</i> (Mt 11, 11) ☩. <i>Tu puer ... parare vias eius</i> (Lc 1, 76)</p>
Petrus et Paulus:	<p>☩. <i>Beatus es Simon ... qui est in caelis</i> (Mt. 16, 17) ☩. <i>Tu es Petrus ... Ecclesiam meam</i> (... , 18)</p>
Michael Arch.	<p>☩. <i>In conspectu angelorum ... Deus meus</i> (Ps 137, 1) ☩. <i>Concussum est mare et contremuit terra ubi archangelus michael descendebat de caelo</i> (Ps 17, 8; Ioh 5, 4)</p>
B. Sabb. post Pascha:	<p>☩. <i>Haec dies ... in ea.</i> (Ps 117, 24) ☩. <i>Laudate pueri ... nomen Domini</i> (Ps 112, 1) ☩. <i>Sit nomen Domini ... saeculum</i> (... , 2)</p>
Assumptio B. V.:	<p>☩. <i>Assumpta est ...</i> ☩. <i>Hodie Maria ... regnat in aeternum.</i> ☩. <i>Ora pro nobis ...</i></p>

Omnes hi versus inveniuntur pariter in P et R, sine ulla rubrica de usu horum versuum, v.g. primus versus ad Missam matutinalem, secundus ad Missam maiorem, vel: primus in die festo, secundus infra octavam. H retinet in omnibus his casibus unum tantum versum, generatim primum⁸⁴ (vel primos duos: sabbato post Pascha).

Graduale Cisterciense generatim unum versum alleluaticum exhibet, vel, si duo inveniuntur, primum pro Missa matutinali, alterum pro Summa Missa⁸⁵.

4. Proprium Sanctorum

Codex noster non exhibet Calendarium, sed elenchus Sanctorum, quorum Missae praebentur in Proprio Sanctorum, concordat cum Calendario quod invenitur in H, nisi quod plura festa quae illic habentur, desunt in nostro codice.

⁸⁴ In Purificatione B. V. alterum retinet versum, in Assumptione eiusdem secundum e. tribus.

⁸⁵ In Purificatione B. V.: Ad Missam matutinalem ☩. *Post partum.* Alleluia.

Mirum non est quod desunt illi Sancti qui in aliis Missis solummodo commemorantur, ut v.g. Damasus, Paulus eremita, Undecim milia virginum et martyrum, Elisabeth: hi in Graduali locum non habent. Desunt tamen quoque festa S. Petri Martyris (can. a. 1253), Coronae Spineae (cuius translatio a. 1239 locum habuit), S. Dominici (can. a. 1234), S. Francisci (can. a. 1228). Invenitur quidem in fine codicis (f. 177^v) Sequentia S. Dominici *In celesti yerarchia*, sed habetur post nucleum primitivum Sequentiarum (cf. supra, p. 19); versus autem alleluaticus eiusdem *Pie Pater*, et versus alleluatici Coronae Spineae *Dyadema spineum* et S. Petri Martyris *Felix ex fructu triplici*, inveniuntur in foliis certe a librario posteriore scriptis (f. 185^v).

Desunt insuper festum S. Remigii (1 oct.), sicut in E, festa S. Mauri (15 ian.), S. Antonii Abb. (17 ian.), S. Blasii (3 febr.), sicut in E, P et R: omnia haec festa secundum B(excepto festo S. Mauri) et H ritu festi trium lectionum celebrantur.

Nonnullae varietates in titulis festorum vel verae discrepantiae celebrationis vel, saltem in aliquibus casibus, potius indiligentiae librarii adscribendae videntur: Tiburcii et Valeriani (14 april.), deest Maximus⁸⁶; Nerei et Achillei (12 maii), deest Pancratius (revera primitus duae distinctae fuerunt celebrationes); Basilidis, Cirini, Naboris (12 iun.), deest Nazarius (Nabor autem et Nazarius duo fuerunt martyres Mediolanenses); Felicis, Simplicii (29 iul.), desunt Faustinus et Beatrix (qui tamen cum Simplicio unam commemorationem constituebant)⁸⁷.

Notandum quod festum S. Felicis presbyteri et confessoris (14 ian.: ita in B et H), in V, P et R nomine « Felicis in pincis » inscribitur.

Quandonam hic Liber Gradualis exaratus est?

J. B. Borino eum s. XIV assignat, innixus iudicio E. M. Bannister, qui hunc codicem simul cum codicibus Vat. lat. 10771, 10772, 10774, 10775 post a. 1300 collocat⁸⁸. Quod ad notationem musicalem attinet, J. Hourlier, monachus Solesmensis et palæographus musicalis, illum

V. *Adorabo...* In Assumptione B. V.: Ad primam Missam V. *Assumpta est ... Alleluia. V. Hodie...*

⁸⁶ Maximus deest pariter in Calendario codicis C.

⁸⁷ Exempla indiligentiae librarii alibi quoque inveniuntur: v.g. in E: titulus: Simplicii, Faustini et Beatricis, sed in oratione quae sequitur leguntur nomina: Felicis, Simplicii, Faustini, Beatricis; in P: titulus: Alexandri et Theoduli (3 maii), sed in oratione habentur nomina: Alexandri, Eventii, Theoduli.

⁸⁸ E. M. Bannister, Monumenti Vaticani di paleografia musicale latina, Leipzig 1913, 184: sub titulo corrente « Notazione quadrata italiana dopo il 1300 ». Eum sequitur Salmon, II, 90, n. 204.

putavit s. XIII assignari posse⁸⁹. Nostro iudicio hic codex primae medietati s. XIII attribuendus est, propter has rationes:

1. In Proprio Sanctorum desiderantur non solum Missae S. Petri Martyris (can. a. 1253, a. 1254 calendario inscripti), Coronae Spineae, S. Francisci (can. a. 1228), immo etiam S. Dominici (can. a. 1234). Quod non statim post eius canonizationem S. Franciscus calendario insertus sit, intellegi potest. Quod autem in Graduali ad usum Monialium Ordinis Praedicatorum, post eius canonizationem deest Missa ipsius Fundatoris, non videtur probabile. Unde conicimus hoc Graduale ante a. 1234 exaratum fuisse.

Haec coniectura confirmatur ex his quae sequuntur:

2. Sicut e descriptione huius codicis superius data patet, textus ut in pluribus concordant cum P et R, discrepant autem a H.

3. Cantui, qui in Graduali Romano responsorium graduale vel simpliciter graduale appellatur, in prima parte huius codicis (Officio de Tempore, Proprio de Sanctis) nota GR praepositur, inde a Communibus autem modo nota GR modo nota R'. (sicut semper in P, R, H).

4. Gradus celebrationis qui in H et in calendario codicum P et R « simplex » vocatur, in hoc codice « ix lc. » (f. 162^v: Ordinarium Missae: « in festis ix lc. ») signatur, sicut in C (f. 11^r) et saepe adhuc in B.

5. Ordo partium plerumque concordat cum ordine partium qui habetur in aliis ritibus Dominicani libris nobis de periodo ante ordinationem Humberti adhuc exstantibus:

a) In V, sicut in P et R, Missa vigiliae unius Apostoli (quae in libris Cisterciensium deest inter Communia) est prima Missa de Communibus, cum in H haec Missa habeatur in vigilia S. Matthaei.

b) Officium Dedicacionis ecclesiae in V, sicut in P et R, invenitur post Commune Sanctorum (sicut in Cis 2; in Cis 4 et Cis 5 post Proprium Sanct., quia deest Commune Sanct.), cum in H (sed etiam iam in E et B, et in Cis 3) habeatur inter Officium de Tempore et Proprium de Sanctis.

c) Antiphonae *Asperges me* et *Vidi aquam* habentur in V et R (f. 228^v) post Missas votivas; in H autem in initio Gradualis. P non praebet has antiphonas (quia non est Missale notatum), sed preces post aspersionem dicendae inveniuntur pariter post Missas votivas (f. 292^{ra}), cum in H in Collectario reperiantur (cf. notam 44).

e) Cantus processionum huic Graduali inveniuntur inserti (sicut in R), cum in H habeantur in Processionario.

⁸⁹ Parva nota per Dom. E. Cardine O.S.B. accepta, 29.V.1973.

II. HOUSTON, U.S.A., MENIL FOUNDATION, 65-62 DJ⁹⁰.

Codex membranaceus, mm. 430 × 290, ff. 270, lin. 11.

Textus litteris gothicis scriptus et notis musicis (in systemate quatuor linearum positus) instructus, multis rubricis interiectis. Praeter plurimas litteras initiales minores, habentur quinquaginta sex litterae initiales maximae variis coloribus depictae, quarum plures diversarum specierum animalibus ornatae.

Constat viginti quatuor fasciculis, quorum plurimi sunt seniones; fasciculi septimus et decimus sunt quaterniones, octavus est ternio, vicesimus tertius et vicesimus quartus sunt quiniones. Fasciculus decimus posteriore tempore est insertus.

Codex, cui, pariter ac singulis eius partibus, deest titulus, continet secundam partem Antiphonarii secundum primaevum usum Fratrum Praedicatorum. Conspiciuntur permultae rasurae, super quas scripti inveniuntur textus Liturgiae Dominicae ab Humberto de Romanis recognitae.

Haec in eo continentur

ff. 1-86^v. In sabbato sancto pasce. Officium huius diei sic incipiat quatenus post nonam missa dicatur ... Oratio. *Deus qui nobis per singulos annos. Per totas octavas fiat officium secundum modum et formam aliarum oct. Sed hoc erit invit. Exultemus domino regi summo qui suum sanctificavit tabernaculum.*

Officium de Tempore, a vesperis sabbati sancti usque ad dominicam XXV post Trinitatem, quod excipit officium Dedicationis ecclesiae.

f. 86^v. R. breve *Inclina cor meum* (ad Tertiam diei dominicae) et quinque antiphonae super psalmos vesperarum de dominica *Dixit dominus*, etc. Additamentum, manu multum posteriore scriptum.

ff. 87^r-214^v⁹¹. In annuntiatione domini quando in paschali tempore celebratur, ad vesp. super ps. a. *Ave maria ... assistentes tue laudi celi iunge gaudiis. p̄. Mag. euouae.*

Proprium de Sanctis: officium Annuntiationis Domini pro tempore paschali, Commune Sanctorum pro T. P., officia Sanctorum a S. Marco Evangelista ad S. Catharinam V. M., sed illorum tantum Sanctorum qui officium habent proprium, sive ex parte sive integrum, et Sanctorum qui iisdem diebus commemorantur.

⁹⁰ Maximas gratias agimus Dominae Dominique de Menil, quae nobis permisit, iam antequam catalogus Operis Fundati cui nomen « Menil » typis impressus est, ea quae ex accurata huius codicis examine collegimus, in aliqua plurium codicum primaevae Liturgiae Dominicae comparativa inquisitione publici iuris facere.

⁹¹ A f. 87 incipit fasciculus nonus.

ff. 215^r-255^v ⁹². In vigil. evangelistarum. ad vesp. super ps. a. *Estote fortes...*
Et notandum quod quando fit memoria de beata virgine et de alio vel aliis sanctis vel de (?) tempore precedit alias nisi novem lc. vel supra.

Commune Sanctorum, cui subiciuntur nonnullae rubricae de memoriis faciendis. Deest officium de Beata Virgine in sabbato.

ff. 255^v-268^v. Invitatorium *Magnus dominus. Venite exultemus...*

Toni communes: duodecim modi ⁹³ cantandi psalmum *Venite exultemus*; hymnus *Te Deum laudamus*, cum lectione *Eterna fac cum sanctis tuis gloria munerari*; octo modi cantandi canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*.

ff. 268^v-270^v. Additamenta variis manibus scripta.

f. 268^v. In nat. plurimorum mr. *Venite adoremus regem regum. Qui beatis martyribus coronam dedit glorie. p̄. Venite.*

In festo alicuius virginis ad [bnd.] ā. *Veni electa mea ... p̄.*

Ant. dicende ad matut. super psalmos in festo iij. lc.

f. 269^r. *Letabitur iustus in domino ...*

Hii sunt qui venerunt ex magna tribulatione ...

Iste sanctus digne in memoria vertitur ...

Veniente sponso prudens virgo ...

In festo unius conf. viij. R̄. *Iustum deduxit dominus ...*

f. 269^v. *Spetiosa facta est et suavis in delitiis ...*

Benedictus redemptor omnium ...

Magne pater sancte dominice ...

f. 270^{rv}. *Gloria patri ...* secundum octo tonos.

Omnes hi cantus desunt in corpore codicis (partim etiam in B), sed hic adduntur ut liber adaptetur Liturgiae recognitae quae habetur in H.

Ad aetatem huius codicis definiendam haec nobis argumenta in promptu sunt:

A. Folio 145^v hae inveniuntur antiphonae, infra octavam S. Dominici dicendae:

Imitator alti consilii | ad te pater suspirant filii | caro mundus demon in prelii | nostri cursum turbant exilii (ad Ben.)

⁹² A f. 215 incipit fasciculus vicesimus.

⁹³ In B habentur tredecim modi, quorum decimus codici B est proprius.

Senescenti Iacob egregium / rachel parit et offert filium / fratrum decus et matris gaudium / sanctum dominicum (ad magn.).

Quando hae antiphonae per annum sunt dicendae, determinatur in rubrica subsequenti: « Iste due a. dicantur per circulum anni in mat. et in vesperis ad memoriam beati dominici in ferialibus diebus. In dominicis autem diebus et in festis novem lectionum dicentur a. *Carnis vigor mentis martyrium* et a. *O decus yspanie doctor veritatis rosa* ».

Capitulum generale a. 1239 de antiphonis ad memoriam S. Dominici dicendis haec statuit: « Admonemus... quod in festis .ix. lectionum dicatur ad vespas ad memoriam antiphona *Transit pauper*. ad laudes antiphona *Carnis vigor*. ad secundas vespas. *O decus Hyspanie*. In diebus vero ferialibus ad vespas. *Senescenti Iacob*. in matutinis. *Imitator*⁹⁴ ».

In Actis Capituli generalis a. 1240 legimus: « Admonemus ut in festo .ix. lectionum dicatur ad primas vespas. *Transit pauper*. ad secundas. *O lumen*. pro memoria⁹⁵ ».

Ex alio codice pristinae Liturgiae Dominicanae (E) scimus antiphonam *O decus Hispaniae* eandem esse atque antiphonam *O lumen Ecclesiae*, exceptis primis tribus verbis (idem patet e rubrica supra e codice M citata). Invenimus in codice nostro (M), ad secundas vespas S. Dominici, antiphonam *O lumen Ecclesiae*, sed verba *lumen ecclesie* scripta sunt super rasuram, et verba *decus hyspanie* adhuc ex parte legi possunt. Quapropter existimamus codicem nostrum vel ante a. 1240 vel saltem non diu post hunc annum scriptum fuisse⁹⁶.

Capitulum generale a. 1240 tantummodo decrevit in festis .ix. lc. ad II vespas pro memoria dicendam esse antiphonam *O lumen Ecclesiae*, nihil autem statuit de antiphonis dicendis in ferialibus diebus. Quae igitur de his statuit Capitulum generale a. 1239, in vigore manent.

Quando antiphonis *Imitator* et *Senescenti* aliae substitutae sunt nescimus. In B pro feriis has antiphonas invenimus:

Ad matut.: *Memoria sancti dominici in compositione odoris facta opus pigmentarii in omni ore quasi mel indulcabitur*⁹⁷. Ψ. *Lex Dei eius*.

⁹⁴ MOPH III, 11.

⁹⁵ MOPH III, 15.

⁹⁶ Ex Actis Cap. gen. a. 1239 non patet utrum hoc Capitulum tunc primum has antiphonas ad memoriam S. Dominici ordinaverit an agatur de ulteriore determinatione usus iam vigentis: rubrica codicis nostri v.g. tacet de antiphona dicenda in I vesp. festi ix lc. Unde fortasse colligi potest rubricam hanc ante a. 1239 scriptam fuisse.

⁹⁷ Sir 49, 1-2: *Memoria Iosiae in compositionem odoris...*

Ad vesp.: *Factus est sanctus dominicus odor bonus deo et hominibus quasi flos rosarum in diebus verni et quasi thus redolens in diebus estatis*⁹⁸.
 Ψ. *Os iusti.*

In H demum inveniuntur, sive pro diebus ferialibus sive pro aliis diebus, ad laudes: *Benedictus Redemptor omnium qui saluti providens hominum mundo dedit sanctum Dominicum.* Ψ. *Lex Dei eius.*

ad vesp.: *Magne pater sancte Dominice mortis hora nos tecum suscipe, et hic semper nos pie respice*⁹⁹. Ψ. *Os iusti.*

B. Officium festi principalis S. Dominici (ff. 140^v-145^v) est illud nondum recognitum (quod invenitur in H), ut patet ex his quae sequuntur:

1. In I vesp., in E, L, M, ant. super psalmos sic sonat:

Gaude felix parens Hispania tante prolis dans mundo gaudia, sed tu magis plaude Bononia patris huius dotata gloria. Lauda tota mater ecclesia nove laudis agens solemnia.

In B et H, loco « tante prolis » legitur « nove prolis » et loco « patris huius » habetur « tanti patris ». In B (f. 397^{va}) videntur haberi rasurae, sed res non plane patet.

2. In I vesp., in E, habetur R̄. *In odoris mira fragrantia*¹⁰⁰, in B et H R̄. *Granum*; in M pariter signatur R̄. *Granum*, sed haec vox super rasuram est scripta (f. 140^v).

3. R̄. iii. *Verbum vitae* sic se habet in L et M:

*Verbum vitae dum palam promitur,
 surgunt hostes, liber conscribitur,
 favent partes sic error vincitur
 fides extollitur.*

In H loco « favent partes » legitur « favent omnes »; in B (f. 398^{va}) pariter invenitur « favent omnes », sed vox « omn(es) » clare apparet super rasuram scripta.

4. R̄. viii. *Ascendenti de valle*, praebet, in versu, plures lectiones:
 In L legitur: Ψ. *Per quem binos a morte suscitatis
 poenas nobis relaxa debitas.*

⁹⁸ 2 Cor 2, 15 et Sir 50, 8.

⁹⁹ Hae duae antiphonae tempore posteriore sunt addita in L (f. 115^r) et M (f. 269^v).

¹⁰⁰ In margine (f. 30^r) legitur: « Va-cat *Granum* », quod R. invenitur in primo Supplemento.

In M (f. 144^r) et H habetur: *Per quem multos a morte suscitās
poenas nobis relaxa debitas.*

In B (f. 400^{va}): *Qui defunctos per ipsum suscitās,
poenas nobis relaxa debitas.*

Textus « Per quem » videtur antiquior, in B mutatus, in H iterum restitutus.

5. R̄. ix., in L et B, est R̄. *In odoris mira fragrantia*¹⁰¹, cum in H habeatur R̄. *O spem miram.* In M invenitur R̄. *O spem miram* super rasuram et alia manu scriptum.

6. Prima antiphona Laudum in E, L et B (f. 400^{vb}) sic sonat:

*Adest dies laetitiae quo beatus Dominicus
aulam caelestis curiae hospes intrat magnificus.*

In H, loco vocis « hospes » legitur « civis » (secundum Eph 2, 19: « Iam non estis hospites... sed estis cives sanctorum »). In M habetur vox « civis » vix ligibilis super rasuram.

7. Tertiae antiphonae Laudum E, L et B hanc praebent lectionem:

*Scala caelo prominens fratri revelatur
per quem pater transiens caelo ferebatur.*

Parum eleganter in hac sententia bis adhibetur vox « caelo », unde in H loco « caelo ferebatur » legitur « sursum ferebatur ». Hic quoque in M correctio « sursum » super rasuram scripta est.

8. Antiphona quinta in E, L et B haec est:

*Glebam sacri corporis odor propalavit
quam neglecti temporis cursus occultavit*¹⁰².

In H alia habetur antiphona:

*Fulget in choro virginum doctor veritatis
sertum honoris geminum gerens cum beatis.*

In M haec ultima antiphona invenitur super rasuram scripta.

9. In II vesp., ant. ad Magn., in E et M incipit: *O decus Hispaniae, doctor veritatis, rosa...*, in L, B et H: *O lumen Ecclesiae, doctor veritatis, rosa...*

10. Capitula in E, M, B sunt unius Confessoris non Pontificis; in

¹⁰¹ R̄. *In odoris* transiit tamquam R̄.iii(ix) in officium Translationis B. Dominici, quod habetur in H.

¹⁰² Haec antiphona fit tertia antiphona Laudum in eodem officio Translationis.

H sunt propria: *Quasi stella matutina* (Sir 50, 6-7)¹⁰³, *Spiritus meus* (Is 59, 21), *Lex veritatis* (Mal 2, 6)¹⁰⁴.

11. In Vesp., in E, habetur versiculus *Amavit eum Dominus*, in M, B, H: *Ora pro nobis*.

C. Non modo Officium S. Dominici (sicut supra vidimus), sed etiam permulta alia eorum quae in nostro codice continentur, discrepant ab H, cum contra saepissime haec concordent cum B, interdum autem cum E vel C. Hoc confirmat opinionem nostram secundum quam hic codex non diu post a. 1240 exaratus esse potest.

Fasciculus decimus (ff. 99-106) continet officia S. Petri Martyris (canonizati a. 1253, cuius festum, die 29 mensis aprilis celebrandum, calendario Dominicano a. 1254 insertum est), Coronae Spineae (die 4 mensis maii), Translationis S. Dominici (die 24 eiusdem mensis). Insertus est hic fasciculus post festum S. Iohannis ante Portam Latinam, quod die 6 mensis maii celebratur, et ante festum S. Iohannis Baptistae, ita ut officia S. Petri Martyris et Coronae Spineae extra suum locum inveniuntur. Officium Translationis S. Dominici in hoc fasciculo, ritu toto duplici celebrandum, non est illud quod habetur in B, in quo ritu duplici gaudet et in quo fere est idem ac in festo principali¹⁰⁵, sed illud quod invenitur in H.

Praeter alia in quibus hic fasciculus a ceteris discrepat, scriptura in eo differt ab illa in vetustiore parte codicis adhibita, praesertim in titulis et rubricis.

Hic fasciculus non ante a. 1254, in quo S. Petrus Martyr calendario est insertus¹⁰⁶, conscriptus esse potest, fortasse circa a. 1256, in quo anno Liturgia Dominicana et, ut videtur, officium Translationis S. Dominici, suam formam definitivam, prout in H reperitur, obtinuit.

III. LONDINII, BRITISH LIBRARY, ADD. 41507

Membranaceus, mm. 95 × 80, ff. 226 (f. 1 antefolium, f. 226 postfolium), s. XIII (XIV-XV?).

Codex, notis musicis quadratis (in systemate quattuor linearum positus)

¹⁰³ Libellus Iordani de Saxonia: «inter quos quasi stella matutina in medio nebulae per vite innocentiam rutilabat»: MOPH XVI, 31, n. 11.

¹⁰⁴ Iam adhibetur tamquam versiculus ad memoriam in Laud. in B.

¹⁰⁵ In E festum Translationis additum est in margine (f. 26^v) et officium fit ut in alio festo; in B officium fit ut in natali ipsius, sed cum prima antiphona Laudum *Factus est* (cf. *supra*).

¹⁰⁶ MOPH III, 71.

instructus, variis manibus, in Germania, ut videtur, exaratus (plures inveniuntur tituli lingua germanica scripti, qui tamen desunt a f. 198^v et deinceps); in qualibet pagina generatim habentur quinque lineae.

Constat XXVII fasciculis, praecipue 8 ff., initio numero romano signatis¹⁰⁷. Nonnulli fasciculi inter se aliquid unum efficiunt: I-II; IV-V (+ VI?); VIII-XIII; XIV-XVI; XVII-XXVII. Plures fasciculi prius separati fuisse videntur, v.g. fasc. I, 6 linearum (officium S. Petri Martyris), cui postea additus est fasc. II; fasc. III, 5 linearum (officium Coronae Domini); fasc. IV, 6 linearum (officium festi principalis S. Dominici), cui postea additus est fasc. V; fasc. VI (officium Translationis S. Dominici); fasc. VII, 7 linearum (officium S. Laurentii), etc. Posteriore tempore omnes fasciculi in unum corpus collecti sunt. Nonnulla desunt folia.

Collectio est nonnullorum officiorum aliorumque elementorum secundum ritum primaevum Ordinis Praedicatorum. Agitur fortasse de officiis vel partibus officiorum diversis annis a Capitulis generalibus statutis et divulgatis.

Praeter officia S. Petri Martyris et Coronae Domini (quorum unam solam versionem novimus) et Translationis S. Dominici, cetera officia et elementa concordant cum illis quae habentur in C, E, M, B, i.e. cum primaeva Liturgia Dominicana, ut alio tempore illustrabimus. Additamenta autem, in ultimis foliis fasciculorum antea vacuis relictis scripta, fere omnia concordant cum Officio ab Humberto de Romanis recognito.

In hoc codice, secundum fasciculos diviso, hæc continentur:

- I-II (ff. 2-17): officium S. Petri Mart.; ant. de S. Catharina V. M. *Beata virgo caterina* (f. 8^v); hymni de Corona Domini; hymni de S. Petro M.; Cap., R̄R̄. etc. de Corona Domini¹⁰⁸; et, alia manu (f. 17^v), ultimae duae strophæ propriae hymnorum S. Petri M.¹⁰⁹.
- III (ff. 18-25): officium de Corona Domini; hymni de S. Cruce *Salve crux sancta salve*, et, alia manu (f. 25^v), *Originale crimen* (sine notis musicis, abrumpitur post verba *hoc contra signum*).
- IV-V (ff. 26-41): officium de S. Dominico (« im Herbst » = in autumnno); deinde (f. 37^v, alia manu): 5 modi cantandi *Ite missa est* (inter quos: in ferialibus diebus!); Sequentia S. Catharinae V. M. *Sanctissimae virginis votiva festa recolamus* (AH, LV, 229); Graduale, Offertorium, Communio

¹⁰⁷ Fasciculo XXV deest numerus, fasciculi autem XXVI et XXVII mendose numerati sunt XXV et XXVI.

¹⁰⁸ Singula officia praebent antiphonas et R̄R̄., non autem Capitula, hymnos, orationem, etc. Unde intellegitur quare in fasc. I post officium S. Petri M. (et antiphonam de S. Catharina) inveniuntur hymni de Corona Domini et de S. Petro M., et deinde, in fine fasc. III, Capitula, R̄R̄. ad Horas, orationem etc. de Corona Domini.

¹⁰⁹ Harum duarum stropharum superius (ff. 11-14^v) initia tantum indicantur: « Qs auctor. Gloria tibi ».

- feriae III hebd. sanctae; versus alleluaticus *Pie Pater*; ant. S. Dominici *Fulget in choro virginum*.
- VI (ff. 42-52): R̄. *O spem miram* (post hoc deest folium); officium Translationis S. Dominici (f. 43^r); R̄. *O spem miram* (f. 47^r); Sequentia Assumptionis B. V. (f. 48^r) *Salve mater salvatoris, vas electum, vas honoris* (Chevalier, n. 18051).
- VII (ff. 53-65)¹¹⁰: officium S. Laurentii et (f. 65^v) ant. *Inclitus martyr tiburcius*; hymnus *Te lucis ante terminum*.
- VIII-XIII (ff. 66-115): Missa defunctorum *Requiem* cum suo Ordinario (*Kyrie, Sanctus, Agnus Dei*); secunda strophæ hymni ad Tertiam *Os lingua mens sensus vigor* (f. 72^v); R̄. *Sint lumbi* (f. 73^r); officia S. Augustini (f. 73^v), Omnium Sanctorum (f. 87^v), S. Martini (f. 97^v); deinde, alia manu, ant. Omnium Sanctorum *Laudem dicite* (f. 112^v); tria R̄R̄. B. V. *Cum esset rex, Ave Maria gratia plena, Virgo parens Christi* (f. 113^r); hymnus *O Trinitas laudabilis* (f. 114^r); antiphonæ de S. Dominico *Benedictus Redemptor omnium* et *Magne Pater* (f. 115^r); ant. de B. V. *Ave stella matutina* (f. 115^v).
- XIV-XVI (ff. 116-137): Officia Assumptionis et Nativitatis B. V.; Sequentia S. Dominici *In celesti gerarchia* (f. 135^r).
- XVII-XXVII (ff. 138-225): Historiæ dominicales inde a mense augusto; antiphonæ ad Ben. et Magn. pro dominicis post Trinitatem; Officia Dedicacionis ecclesiae et S. Michaelis; Sequentia B. V. *Hodiernæ lux diei* (f. 219^v) et, alia manu scripta, Sequentia Omnium Sanctorum *Gaudeat ecclesia* (AH VIII, 86-87).

De additamentis quæ in ultimis foliis fasciculorum antea vacuis relictis leguntur hæc sunt notanda:

In fine fasciculi III, in quo habetur officium de Corona Domini et qui videtur fasciculus a se stans, habentur hymni de S. Cruce *Salve crux sancta salve* (f. 24^v) et, alia manu scriptus, sine notis musicis (f. 25^v), *Originale crimen* (abrumpitur post verba secundæ strophæ *hoc contra signum*).

Hymnus *Salve crux sancta salve* (Heribert von Rothenburg) invenitur in utroque festo S. Crucis ad Vesp. et Matut. in B et H (et in primo Suppl. E), in E et M autem habetur hymnus *O crux ave spes unica* (de hymno *Vexilla regis*).

Hymnus *Originale crimen* (altera pars hymni *Salve crux*) habetur ad Laudes in H, in M et B autem *Cruce fidelis* (de hymno *Pange lingua*).

In fine fasciculi V habentur versus alleluaticus *Pie Pater* (f. 41^r) et ant. *Fulget in choro virginum* (f. 41^v).

¹¹⁰ Huic fasciculo deest folium primum; ultimum folium (65 r et v) alia manu est scriptum.

Versus alleluiaicus *Pie Pater* non pertinet ad primam formam Missae S. Dominici, immo vero etiam in H (Graduali, Missali conv., Missali min. altarium) apparet super rasuram scriptus. In R et V hic Ψ . habetur in fine libri, cum P praebeat versum *Iustus germinabit*.

Ant. *Fulget* est quinta antiphona Laudum officii S. Dominici secundum H; in E, L (f. 36) et B habetur ant. *Glebam*; in M ant. *Fulget* invenitur super rasuram scripta (cf. supra, p. 32).

In fine fasciculi VI, in quo continetur officium Translationis S. Dominici (a. f. 43 et deinceps), inveniuntur \mathcal{R} . *O spem miram* de S. Dominico (f. 47^r)¹¹¹ et Sequentia Assumptionis B. V. *Salve mater Salvatoris, vas electum vas honoris* (ff. 48-52^v).

Nonum \mathcal{R} . in festo principali S. Dominici in H est *O spem miram*, in L (f. 34^v) et B autem, et probabiliter in M (\mathcal{R} . *O spem miram* hic invenitur supra rasuram et alia manu scriptum) \mathcal{R} . *In odoris mira fragrantia*.

Sequentia in Assumptione B. V. in P, R, V est *A rea virga*, in H autem *Salve mater Salvatoris*.

In fine fasciculi VIII post Missam *Requiem* inveniuntur secunda strophæ hymni ad Tertiam *Os lingua mens sensus vigor* (f. 72^v), \mathcal{R} . *Sint lumbi* (f. 73^r) et deinde (f. 73^v) officium S. Augustini, quod continuatur in fasc. IX et X.

\mathcal{R} . *Sint lumbi* habetur in M et B tamquam \mathcal{R} . 10 in Communi unius Conf. Pontificis, in H tamquam \mathcal{R} . 9 in Communi unius Conf. sive Pontificis sive non. In L, M, B, H insuper tamquam \mathcal{R} . 7 in festo Omnium Sanctorum.

In fine fasciculi XIII post officium S. Martini haec habentur (alia manu scripta):

a) Ant. *Laudem dicite*, i.e. nona antiphona officii Omnium Sanctorum, hic forsitan allata quia in ipso officio Omnium Sanctorum, superius scripto, « incipit » tantum indicatur.

b) Tria \mathcal{R} . B. Mariae V. *Cum esset rex, Ave Maria gratia plena, Virgo parens Christi*, quae sunt \mathcal{R} . secundum H in officio B. V. in Sabbato dicenda (Ord. n. 464) quaeque differunt ab illis quae habentur in eodem officio in C et B.

c) Hymnus *O Trinitas laudabilis*, qui dicitur secundum H ad Laudes in festo S. Trinitatis (Ord. n. 204); secundum C, M, B autem dicitur altera pars hymni *Adesto, sancta Trinitas* (sc. tertia et quarta strophæ cum doxologia): *Adsumus*. Hymnus *O Trinitas laudabilis* habetur pariter in primo Suppl. E.

d) Antiphonae *Benedictus Redemptor omnium* et *Magne Pater*, secundum H per annum ad memoriam de S. Dominico dicendae in Laudibus et Vesperis. Secundum Capitula generalia aa. 1239 et 1240 aliae antiphonae erant dicendae, aliae etiam secundum B (cf. supra, p. 29-31).

¹¹¹ Etiam in initio fasc. VI (f. 42) habetur \mathcal{R} . *O spem miram*; post f. 42 desideratur folium.

e) Antiphona de B. V. *Ave stella matutina*, quae secundum H (Ord. n. 465) dicitur in officio B. V. in sabbato ad Benedictus per annum. In B deest haec antiphona.

In fine fasc. XVI, post officium Nativitatis B. V., habetur Sequentia S. Dominici *In caelesti gerarchia*. Nescimus quo anno conscripta sit haec Sequentia. Notandum tamen eam desiderari in C et P, atque in V et R saltem extra suum locum inveniri.

In fine fasciculi XXVII post officium S. Michaelis habentur duae Sequentiae, diversis manibus scriptae, *Hodierna lux diei*, et *Gaudeat ecclesia* (AH VIII, 86-87).

Sequentia *Hodierna lux* habetur in C, P, R, V in Nativitate B. V., in H autem in Missa de B. V. in sabbato, a Trinitate ad Adventum (Ord. n. 907).

Sequentia *Gaudeat ecclesia* cantabatur in festo Omnium Sanctorum secundum C, P et V (secundum V insuper in festo Dedicacionis ecclesiae); deest tamen in R et H.

Omnia haec breviter complectendo colligimus in ultimis foliis fasciculorum antea, ut patet, vacuis relictis, scripta fuisse plura elementa quae desunt in libris praehumbertianis, adsunt tamen in Officio a V. Humberto recognito, sc.:

a) Hymni de S. Cruce *Salve crux sancta salve* et *Originale crimen* (hic hymnus invenitur iam in B) et hymnus de S. Trinitate *O Trinitas laudabilis*.

b) Sequentia Assumptionis B. V. *Salve mater Salvatoris*; tria R̄R̄. B. V. *Cum esset rex, Ave Maria gratia plena, Virgo parens Christi*; ant. *Ave stella matutina*. Notandum haec tria R̄R̄. et ant. *Ave stella* simul inveniri in fine codicis Arch. O.P. XIV L 3, post officia Coronae Domini, Translationis S. Dominici et S. Petri Martyris¹¹².

c) Ex officio S. Dominici: R̄. *O spem miram*, ant. *Fulget in choro virginum*; antiphonae ad memoriam de S. Dominico *Benedictus Redemptor omnium* et *Magne Pater*. Sequentia *In caelesti hierarchia* habetur quidem in R et V, sed videtur ibi posteriore tempore addita. Versus alleluaticus *Pie Pater* immo in H apparet manu secunda scripta.

Antiphona tamen *Beata virgo caterina tua prece nos reclina in amena paradysi gaudia* (f. 8^v) et Sequentia *Sanctissimae virginis votiva festa recolamus* (f. 38^r) cultum particularem probant erga S. Catharinam V. M.

Descriptione horum trium documentorum primaevae Liturgiae Dominicanae nunc facta, evolutionem eiusdem Liturgiae, prout ex comparatione omnium documentorum cognoscitur, alio tempore exponere conabimur.

¹¹² Cf. EL, LIV (1940) 170.